DISSERTATIO THEOLOGICA DE SPIRITU, AQUA ET SANGUINE IN TERRA TRIBUS TESTIBUS, ...

Johann Georg Dorsche, Johann Balthasar Ritter

Digitized by Google

1187.1

Digitized by Google

AI

DISSERTATIO THEOLOGICA
DE SPIRITU, AQUA ET SANGUINE

IN TERRA TRIBUS TESTIBUS,

PRO CHRISTO DEI FILIO,

1187
1

Ex 1. Johan. cap. V. verſ. IIX.

SIVE DE VERBO ET DUO-
BUS NOV. TEST.
SACRAMENTIS,

Autore
JOHANNE GEORGIO DORSCHEO
SS. Theologiæ Doctore, Profeſſore Ordinario
& Eccleſiaſte, Argentorati.

θεὸς ὁ ζῶν οὐκ ἀμάρτυρον ἑαυτὸν ἀφῆκεν.
Act. 14, 17.



BIBL. CAES. PALAT. VIND.

FRANCOFURTI,
Sumptibus PHILIPPI JACOBI FISCHERI,
ANNO M. DC. LIII.

BIBLIOTECA NAZIONALE 1872

SUMMARIA
DISSERTATIONIS JOHANNÆÆ.

IN

PRÆLOQUIO *agitur de pluribus excellentiis B. Iohannis Evangeliſtæ in Colleg. Apoſtolico;*

§. 1. De nomine ſingulari, quo filius Tonitrui appellatur: ubi de ſcriptione Græca & Syriaca.

§. 2. De conſanguinitate D. Iohannis cum Salvatore noſtro. Ubi explicatur diſſenſio Papiſtarum, in qua quidam B. Iohannis matrem ſororem S. Mariæ ponunt, alii in latiori gradu conjunctionem ſanguinis collocant. Obiter de autoritate Chronici Dextri.

§. 3. De judicio Eccleſiaſtico, quo B. Iohannes COLUMNA *Eccleſiæ habebatur. Obiter de loco* Galat. 2, 9.

§. 4. De accommodatione faciei Cherubicæ aquilinæ apud Ezech. c. 1. ad B. Iohan.

§. 5. De virtutibus B. Iohannis aliis. Obiter explicatur Euſebius, vocans eum ἱερὰ πεταλὸν πεφορεκότα. *Et cur diſcipulus ſit, quem diligebat Ieſus.*

§. 6. De Evangelio & Epiſtolis B. Iohanni ob ſummam conformitatem ſine dubio convenientibus: & duobus in 1. Joh. c. 5. *inſignibus emblematis, de Triade SS. teſtium in cœlo & teſtium in terra.*

CAP. I. *§. 7. De tribus in terra teſtibus à B. Iohanne prædicatis textus proponitur, collatis innumeris Codicibus. Obiter explicatur, cur B. Iohannis prima Epiſtola dicatur ad Parthos? & de autoritate Papalis Epiſtolæ Hygini judicatur.*

CAP. II. *§. 8. De verbis* in terra, *an ſint divinæ originis, quæritur, & oſtenditur collatione optimorum codicum, antiquitatis & rationum è textu eorum divina autoritas. Obiter: de authentia Trium in cœlo teſtium. Et de Papali epiſtola Iohannis* II.

§. 9. De verbis, & hi tres unum, *vel* in unum ſunt, *an ſint divinæ originis, diſputatur. Socini cavillationi ſatisfit.*

§. 10. Utrum legendum, unum, *vel* in unum *deducitur.*

CAP. III. *§. 11. Variorum interpretum in textum Iohannæum Exegeſes proponuntur. Tertulliani Clementis Alexandrini. Obiter de autoritate comment. Clementis in Epiſt. Canon. Cypriani. Ambroſii. Gregorii Nyſſeni. Chryſoſtomi. Hieronymi. Euthymii. Auguſtini. Paulini. Cyrilli Alexandrini. Leonis M. Bedæ. Gregorii. Eliæ Cretenſis. Iohannis Damaſceni. Iodoci Clichtovai. Paſchaſii Rhatberti. Strabi Fuldenſis. Anſelmi Laudunenſis. Oecumenii Algeri. Bernardi. Petri Bleſenſis. Innocentii III. Thomæ Aq. Nicolai Lyrani. Thomæ Cajetani. Ambroſii Catherini. Thomæ Anglici.*

§. 12. Gregorii Primaticii. Ioh. Marianæ. Emanuelis Saa. Eſtii. Antonii Bruccioli. Iſidori Clarii. Didaci Yanguæ. Alf. Salmeronis. Iohannis de Carthagena. Franc. Toleti. Nicol. Serarii. Cornel. à Lapide.

§. 13. Zvvinglii. Oecolampadii. Calvini. Hemmingii. Aretii. Bullingeri. Pet. Martyris. Theod. Bezæ. Marlorati. Zanchii. Piſcatoris. Polani. Toſſani.

CAP. IV. §. 14. *Vera de textu Iohann. ſententia proponitur & confirmatur rationibus. Producitur prima, quia ſingula verba eò conſpirant, ut per Spiritum, verbum Evangelij per aquam & ſanguinem duo N. T. ſacramenta intelligi debeant. Obiter explicatur locus* Joh. 6, 63. Eſ. 11, 4. 2. Theſ. 2. 8. Rom 8, 6. Joh. 4, 13. 1. Joh. 4, 1. 2, 3. 4. *fuſè locus* 1 Joh 5, 6. *Et* Heb 10, 23. *Sacramentum* calicis.

§. 15. *Producitur ſecunda ratio, doceturq;, verbum & duo ſacramenta eſſe eminentiſſima in Eccleſia Dei teſtimonia. Obiter explicatur loco* Pſ. 19. 8 *fuſè* Apoc. 10, 10.

§. 16. *Producitur tertia ratio, doceturq;, iſta eſſe ſingulariſſima N. T. teſtimonia.*

§. 17. *Producitur quarta, doceturque, iſta teſtimonia eſſe perennia ad finem ſeculi, explicatur locus* Matth. 28. 19. 20.

§. 18. *Producitur quinta, doceturq; per iſta Chriſtum evidentiſſimo modo ad nos venire Explicatur locus* 1 Joh 5, 6. *Obiter, de miraculis.*

§. 19. *Producitur ſexta, doceturq;, iſta triplici diſtincta ratione teſtari.*

§. 20. *Producitur ſeptima, doceturq;, iſta eſſe teſtimonia ex parte Dei.*

§. 21. *Producitur octava, ex conſenſu veterum & recent. Interpp.*

CAP. V. §. 22. *De Trinitate horum teſtimoniorum agitur. Ternarij numeri apud priſcos dignatio docetur.*

CAP. VI §. 23. *De operatione eorundem docetur, illa eſſe efficaciſſima, potentiſſimaque ad ſalutem media.*

CAP. VII. §. 24. *De ubietate tractatur, & indicatur, quo pacto in terra ſint hi tres teſtes. Obiter, quomodo tres perſonæ Deitatis dicantur teſtes, ἐν ὐρανῷ.*

CAP. IIX. §. 25. *De unitate horum teſtium diſſeritur. Obiter de autore ſacramentorum, & monſtroſa circa hoc caput Papiſtarum theologia. Loc.* Matth. 28, 18.

CAP. IX. §. 25. *Poriſmate I. autoritas S. literarum Evangelicarum ab Eccleſiæ autoritate independens ex textu docetur.*

§. 26. *Poriſmate II. S. literarum Evangelicarum ſufficientia & adæquatio ad normam fidei è textu evincitur. Obiter. In divinis eundem & teſtem & judicem eſſe.*

§. 27. *Poriſmate III. S. literas, etiam in lingua vernacula, fidelibus neceſſariò communicandas eſſe, demonſtratur. Oſtenditur, olim in varias linguas à ſanctis & pijs viris, imò & alijs ſine Eccleſiæ offendiculo, S. literas verſas fuiſſe.*

§. 28. *Poriſmate IV. aquæ baptiſmum eſſe perpetuum ordinarium N. T. ſacramentum confirmatur.*

§. 29. *Poriſmate V. ſanguinis & corporis Dn. noſtri Ieſu Chriſti præſentia, in ſacramento cœnæ, vera & ſubſtantiali adeſſentia conſtans, ſtabilitur. Sadeel refellitur. Locus* 1. Cor. 12. 13. *explicatur.*

§. 30. *Poriſmate VI. ſacramentorum N. T. dualitas firmatur. Locus* Joh. 19, 34. & 1. Cor. 12, 13. *exponitur.*

§. 13. *Poriſmate VII. ſacramentalem bibitionem ſanguinis Dominici mediante vino Laicis non eſſe interdicendam, roboratur.*

§. 32. *Poriſmate IIX. Verbum Evangelij & ſacramenta duo, eſſe infallibiles veræ Eccleſiæ notas deducitur. Huntlæus Ieſuita refellitur.*

§. 33. *Diſſertatio cum voto clauditur.*

Reſp. Ioh. Balthaſar Ritter/
Mœno-Francofurtanus.

DISSERTATIO

De

SPIRITU, AQUA ET SANGUINE, TRIBUS IN TERRA TESTIBUS.

Pro

CHRISTO DEI FILIO,

1. Johan. 5, 8.

EXcellentis in Apoſtolico auguſtiſſimo Collegio fuit S. Jo- Præloquium.
hannes *Evangeliſta* autoritatis. Vocabatur I. cum fratre 1. *Iohanni*
ſuo Jacobo, *Marc.3,17.* à Chriſto, (ut Græca, ſed corrupta, *Evangeliſtæ nomen*
ſi cum originali conferatur, uſu tamen, quo valent vocabu- *filii toni-*
la, ſicut numi, recepta enunciandi ratio habebat) Βοανεργὲς, *trui tribu-*
quod Evangeliſta interpretatur υἱοὶ βροντῆς. *Syrus* habet *tum.*
בני רגשי *Munſterus* legit Syriacum, *Benajaregeſch*, Æthiopicum Teſtamentum habet, *Boanergeſch*, uti notat Theodorus Bibliander *in Marc.p.316.* Druſ. *in Comm. prior. ad voc. Hebr. N.T.* meminit, ſe in Anſelmo reperiſſe, *Bonoarges*, & apud Origenem Homil. 1. in Geneſ. *Boanarges*. Itaq; *Boane* factum eſt ex uſu pro *Bene*, quod antiqui ſonabant; In רעם autem primum *Scheva* ſub ר in pronunciando omiſſum ſecundum Judæorum morem: ע in ג commutatum, ut in multis aliis dictionibus. *Gomorrha*, *Raguel*, *&c.* ם in σ tranſiit, idque ideò, quia antiquitùs à nominibus barbaris Græci ם aut alias conſonas finales abjiciebant, & contra σ terminationi adſcribebant. Syrus ſecutus Græcam quadantenus ſcriptionem רגש ſcripſit: quanquam ſint, qui רגש Syris *tonitru* eſſe, dicant, quod non eſt ſatis exploratum, & hic ipſe locus *Marci 3,17.* atque *Ioh.12,29.* aliter eſſe oſtendit: Vitiosè autem ſcribitur רגשי in excuſis codicibus, uti notat Druſ. *in Comm. poſterior. p.207.* qui & addit: *Scire cupiet aliquis cauſam vulgatæ ſcripturæ* Boanerges. *Vellem, poſſem cer-*

tam dicere:ſed conjecturis agendũ erit. Conjicio primùm ſcriptũ fuiſſe Banerges, *ex ſono antiquo, pro* Benerges, *ut Samuel pro Semuel, quomodo et defendi poſſet* Banereem, *quod eſt apud Hieronymum. Porrò* Banerges *Syria quædam Dialectus dicit* Bonerges, *& alioqui a in o facile tranſit. Ex his dialectis conflatum* Boanerges. Maldonatus Jeſuita ita *in Comm h.l.p.730.* loquitur: *Non dubito,* inquit, *verum eſſe, quod in commentariis in c.1. Danielis Hieronymus indicat, ignoratione peregrina lingua adeò corruptum à Notariis deflexumque eſſe hoc nomen, ut vix in eo prima originis veſtigium ullum appareat. Putat ille* בנירעם Bene Raam, *factum eſſe* Boanerges, *Non ut filii quidam docti exiſtimant,* Bene Reem *filii tonitrui. Nam nec id Hieronymus dicit, & haud ſcio an id verè dici poſſit, cùm Hebraicè tonitru non Reem, ſed Raam appelletur. Alii quo propiùs ad* Boanerges, *id eſt, vitiatum nomen accedere videantur, & probabiliorem ſcriptorum errorem faciant, nominum ſimilitudine* בנירגש *legendum exiſtimant, id eſt, filii tumultus. Nam quamvis Regeſch non tonitru, ſed tumultum ſignificet, tamen quia tonitru tumultus quidam vehemens eſt, tumultum pro tonitru poni, ideoque Evangeliſtam interpretatum eſſe, filios tonitrui. Nam & Homerum Iovem illum ſuum* ὑψιβρεμέτην *altifrementem, i.e. altitonantem appellaſſe, quia & tonitru fremitus eſt. Probarem, ſi invenirem apud Hebraos Regeſch tumultum ſignificare, quod nusquam invenio. Nam etſi Ragaſch ſignificat congregari, convenire, tumultuari, tamen Regeſch non tumultum, ſed congregationem ſignificat, & ſcimus autores Gracos Hebraicam literam* ע *in Gracam* γ *& ſono & figurâ ſimilem ſolere formare, &c.* Hæc Maldonatus; qui ex conſideratione Pſ. 64,3. facilè perſuaderi poterit, *Regeſch, tumultum* etiam notare. Orat Pſaltes: *Abſconde me Domine* מרגשת *facientium iniquitatem.* Tremellius & Junius vertunt *à tumultuatione operam dantium iniquitati.* Nos in Druſianâ conjecturâ acquieſcimus, ſed cujus ille non eſt autor, uti ferè jactat ſe, verùm copiosè ea

Confer Heinſium in Nonnum p.276

firmatur à Cl. Theologo D. Chemnitio *in Harm. Evangel. c.50. pag.268. in 4.* Tonitrui filius vocabatur S. Apoſtolus, quia id, quod *Ioh.12,29.* voce cœleſti per modum tonitru ſonante cælitus audiebatur, ipſe magna & clarè tonante Evangelii tubâ, paſſim inſonuit & patefecit. Ejus enim oratio erat tonitru, quia vita ejus erat fulmen, quod de S. Baſilio ait Nazianz. *in ejus elogio*, Epiph. *hareſ.73.* Iohannes, ait, *reverà tonitrui filius per propriam ſui grandiloquentiam, velut ex quibuſdam nubibus ex ſapientia ænigmatibus piam nobis de Filio intelligentiam perſuaſit.*

2.
Iohannes conſanguineus Salvatoris.

§. 2. II. Salvatorem noſtrum Jeſum, principem vitæ, Deum benedictum in ſecula, proximâ ſanguinis conjunctione & neceſſitudine attingebat. Quoto gradu, nos non diſquirimus. Fuiſſe genitum ex Salome filiâ S. Annæ, Matris θεοτόκου, adeoque Sorore ejuſdem Dei genitricis, tradunt è Pontificiis plurimi: Albertus Magnus *in c.19. Ioann.* Alfonſ. Toſt. Ep. Abulenſ. *in c.20. Matt. 4. q.54. §.3.* Antoninus Florentin. Gerſon. Pariſienſ. & alii. Eckius *ſerm.2. de S. Anna*

S. Anna aſſerit, eos, *qui negant, S. Johannem fuiſſe Chriſti conſobrinum, repugnare S. Patribus, & Eccleſiæ ipſiq; Scripturæ.* Citant pro ſe Chryſoſt. *Act. 1, 5.* qui Johannem vocat fratrem Domini. S. Brigittam *l. 1. revelat. c. 10.* quæ cum vocat *Sororium Chriſti*, quod natus ſit ex Matris Chriſti ſorore, & conſequẽter B. Virginis fuerit nepos, & Chriſti Conſobrinus. Bedam *præfat. in S. Johan.* Bernard. *in Lament. B. Virgin.* Hugon. de S. Victore, & Gloſſ. *in c. 4. ad Gal.* Sed hæc ſententia aliis Pontificiis minus placet, qui cenſent Annam non niſi unam habuiſſe Prolem ſc. B. Virginem. Id enim magis decuiſſe & gravitatem S. Annæ, & dignitatem B. Virginis ac Chriſti. Sunt illi, allegante Cornel. à Lapide *in Comm. in 1. Joh. pag. 435.* poſt Euthymium & Theophylactum, Thomas Aquinas, Cornel. Janſenius, P. Caniſius, C. Baronius, M. Canus, quos citat & ſequitur etiam Franc. Suarez. *3. part. tom. 2. diſp. 5. ſect. 4.* L. Dexter & ejus Continuator Helecas Epiſc. Cæſarauguſtanus, *in Chronico nuper edito*, tradunt, Zebedæum, fuiſſe fratrem S. Barnabæ, & habuiſſe duos filios. Jacobum & Johannem Apoſtolum, & duas filias, quarum una nupta fuerit S. Petro, altera S. Andreæ. Additq; Helecas: *Zebedæus, qui & Ariſtobulus, Pater Iohannis & Iacobi Apoſtolorum, fuit è LXXII. Diſcipulis. Hic cum S. Petro Romam venit: inde miſſus in Angliam Epiſcopus, Martyr occubuit Anno 2. Neronis. Salome uxor Zebedæi, mater S. Iohannis & Iacobi anno ætatis 90. Chriſti 42. die 24. Maij ſanctiſſimè deceſſit Verulis in Italia, quæ prius cum Iacobo filio peragravit Germaniam, Angliam & Italiam prædicando.* Magni fit hoc Dextri Chronicon in Hiſpaniâ, & notis illuſtratum prodiit: ſed cum reliquis Pontificiorum fabulis nõ convenit. Nam Martyrolog. Rom. 25. Maij habet, Verulis quieſcere Mariam Jacobi: quæ paſſim cenſetur fuiſſe Mater Jacobi Minoris, non Majoris, qui fuit frater Johannis. Etenim *Marc. 15, 40.* Maria hæc vocatur *Mater Iacobi Minoris & Ioſeph*, & diſtinguitur *à Salome*. Unde & *Maria Salome*, quæ fuit *Mater S. Iohannis & Iacobi Majoris* tranſitus in Martyrolog. Rom. conſignatur. 22. Octobr. ubi & Hieroſolymis obiiſſe diem dicitur. Unde ſuſpicatur Cornel. à Lapide, Chronicon id *Dextri* non eſſe, quem Hieronymus celebrat, ſed tenebrionis cujuſpiam.

§. 3. III. Habebatur cum Jacobo & Petro pro Columna Eccleſiæ. *Gal. 2, 9.* Columnæ Theophylacto C. h. l. *Magni, quos omnes ubiq; tum circumferunt, tũ glorificant.* Oecumenio *in Comm. h. l.* κορυφαῖοι. Eſt a. κορυφαῖος Heſychio *in Diction.* Τέλειος. Ἡγέμων. Budæo *in Comm. Græc. L. p. 115.* κορυφαῖος eſt πρωτοστάτης, ἐξάρχων, κατάρχων, χοροστάτης. Suidæ, ὁ πρῶτος. Chryſoſtomo *Colũnæ* ſunt πρῶτοι, μεγάλοι, καὶ ἔξαρχοι. Anſelmo. *Majoris autoritatis & ſcientiæ.* 3. Iohan. Evang. Columna Eccleſiæ.

§. 4. IV. Veneranda Antiquitas ex mirandâ viſione quatuor Cherubicarum imaginum, aquilinam ad B. Johannem Evangeliſtam accommodavit. *Ezech. cap. prim. & decim.* quia *mentis volatu & acie omnes tranſiens ad ipſum DEI ſinum penetravit, indeque myſterium generationis filii DEI intonavit.* Origenes hom. 2. in diverſos, loquẽs de S. Johanne, inquit, *Vox Spiritalis aquila* 4. Iohan. Evangel. Cherubica aquila facie deſignatus.

Digitized by Google

lis aquilæ auditum pulſat Eccleſiæ, vox altivoli volatilis, non aërem corporeum, vel æthera, vel totius mundi ſenſibilis ambitum ſupervolitantis, ſed omnem theoriam, ultra omnia quæ ſunt, & quæ non ſunt, citivolis intimæ Theologiæ pennis clariſſimæ ſupernæq́; contemplationis obtutibus tranſcendentis. Supervolavit itaq́; B. Johannes Theologus, non ſolum quæ intelligi ac dici poſſunt, verum etiam quæ ſuperant omnem intellectum, & ſignificationem ſuper vehitur, extraq́; omnia ineffabili mentis volatu in arcana unius omnium principii exaltatur. Et poſt: *O B. Johannes, non immeritò vocaris Ioannes, id eſt, cui donatum eſt. Cui enim Theologorum donatum eſt, quod tibi donatum eſt, abdita videlicet penetrare myſteria?* Demùm cùm dixiſſet, *Petrum gerere typum actionis*, Johannem *verò contemplationis*; ſubdit. *Spiritale igitur petaurum, citivolum, Deivolum Iohannem dico Theologum, omnem viſibilem & inviſibilem creaturam ſuperat, omnem intellectum penetrat, & Deificatus intrat in Deum ſe Deificantem, &c.*

5. Iohan Ev. variis aliis excellentiis illuſtris. §. 5. V. Fuit caſtitate *Virgo*, ſenili autoritate *Patriarcha*, Eminentiâ *Apoſtolus*, vigilantiâ *Epiſcopus*, virtute *Hierarcha*, ſapientiâ *Doctor*, obſervatione *Evangeliſta*, prædictione *Propheta*, conſtantiâ *Martyr*, & ſic omnibus ferè ornamentis Eccleſiæ Chriſtianæ conſpicuus. Polycrates in epiſt. ad Victorem Romã. apud Euſeb. *lib. 5. H. E. cap. 23.* dicit, quod Johannes fuerit ἱερεὺς τὸ πέταλον πεφορεκὼς καὶ μάρτυς καὶ διδάσκαλος. (Per πέταλον laminam auream Epiſcopatus inſigne intelligunt Papiſtæ. Cornel. à Lapide *Comm. 1. Ioh. p. 436.* Hartus *apud Reinoldum Colloq. p. 955. edit. Oppenh.* Sed ille oſtendit, ſymbolicam eſſe locutionem Polycratis. Non enim πέταλον aureolam bracteam geſtaſſe Johannem, qui cum Petro profitetur, ſe aurum & argentum non habere, *Act. 3, 2* & πέταλον fuiſſe aliâs ornamentum Summi Pontificis, non autem à quibuſvis ſacrario deſtinatis geſtari ſolitum: Hoc igitur velle Polycratem, quòd Johannes, ceu Summus Pontifex laminam auream geſtans, in ſanctum Sanctorum ingreſſus fuerit, & abdita divinitatis didicerit, vide Reinold. l. c.) Unde Chriſto præ cæteris familiaris & quaſi à ſecretis fuit. Præ fiduciâ amoris ſe paſſim vocat *Diſcipulum, quem diligebat Ieſus.* Non enim ſolùm arcanorum Salvatoris fuit particeps, ſed & in ſinu ejuſdem recubuit. De hâc re Auguſtinus *tract. 18. in Iohan. Iohannes Evangeliſta*, ait, *inter conſortes & comparticipes alios Evangeliſtas hoc præcipuum & proprium donum accepit à Domino, ſuper cujus pectus in convivio diſcumbebat, ut per hoc ſignificaret, quia ſecreta altiora de intimo ejus pectore potabat, ut ea diceret de Filio DEI, quæ parvulorum mentes fortaſſis intentas excitare poſſint, implere autem nondum capaces non poſſint.* S. Chryſoſtomus *præfat. in Evangel. S. Iohan.* ait, *Angelos multa didiciſſe à S. Iohanne, ac proinde etiam ipſos Cherubinos ac Seraphinos avidè eum ſuum Evangelium & Apocalypſin intonantem audiviſſe. Supra verbi templum recumbens aulam divinæ plenitudinis ſcrutatus eſt*, ait Ambroſ. *in Pſ. 118. octon. 2.* Et Hieronymus *in Ezech. c. 2.* Johannes, ait, *recubuit in pectore ejus, ut hauriret*

Digitized by Google

viret fluenta ſapientiæ, ut poſſet dicere: In principio erat verbum: *Quia enim in pectore Chriſti ſunt omnes theſauri ſapientiæ & ſcientiæ abſconditi, meritò ſuper pectus ejus recumbit, quem majore cæteris ſapientiæ & ſcientiæ munere donat*: ait Beda *homil. de S. Johanne*. Laurentius Juſtinianus Patriarch. Venet. *lib. de Agone Chriſti cap. 5.* ita inclamat S. Iohannem: *Sapientiæ arcana contemplando rimaris, curris per Angelos, diſcurris per Archangelos, cæteraſque Spirituum legiones conſiderationis pennâ percurrendo rimaris, tibi panduntur indicibiles ſapientiæ theſauri, tibi reſerantur revelationum ſacra myſteria, divinitatis altitudo, æterna verbi generatio, & cœleſtis gloriæ triumphale regnum.*

6. Iohannes ſublimis Evangelii & Epiſtolarum diviniſſimarum ſcriptor.

§. 6. VI. Ejuſmodi arcana ſanctitatis divinæ è ſervatoris Jeſu pectore ſuxiſſe filium tonitrui, non ſolum Evangelium ab ipſo conſcriptum oſtendit, ſed & *Epiſtola* ejus *Canonica*. De utriſque ſcribit ex ſententia Dionyſii Alexandrini Epiſcopi, Critici ſacri accuratiſſimi, Euſebius *lib. 7. Hiſtor. cap. 20. Evangelium & prima Johannis Epiſtola non ſolum vitio carent, ſed etiam ſumma cum verborum elegantia, maximo ſententiarum pondere, & concinna elocutionis diſpoſitione perſcripta ſunt. Tantum abeſt, ut vox aliqua barbara, aut ſolœciſmus, aut imperitus, aut rudis ſermo in iis reperiatur*; Et cap. 25. ait porrò Euſebius, *Qui attentè leget, inveniet utrimque frequenter vitam, lucem, dehortationem à tenebris, creberrimè veritatem, gratiam, gaudium, carnem & ſanguinem Domini, judicium, peccatorum remiſſionem, dilectionem DEI erga nos, præceptum nos invicem diligendi, ſervanda eſſe cuncta præcepta, redargutionem mundi, Diaboli & Antichriſti, promiſſionem Spiritus Sancti, adoptionem Dei, fidem ubique à nobis expetitam, ubique Patrem & Filium, & ſi per omnia character utriuſque notatur, prorſus unus & idem Evangelii & Epiſtolæ color reperietur.* Effulgent paſſim in Epiſtola emblemata cœleſtis ſapientiæ nitidiſſima, quæ & adverſariorum æternæ veritatis, oculos validiſſimè perſtrinxerunt. Inter ea eſt palmarium quod *Epiſt. 1. cap. 5. verſ. 7. extat*, Τρεῖς εἰσιν οἱ μαρτυροῦντες ἐν τῷ οὐρανῷ, ὁ πατήρ, καὶ ὁ λόγος, καὶ τὸ πνεῦμα ἅγιον, καὶ οὗτοι οἱ τρεῖς ἕν εἰσιν. Illud enim in tantum concuſſit adverſarios, ut ſummovendum eſſe è S. Codice cenſuerint: de quo conqueritur B. Hieronymus *in prolog. Epiſt. Canon. ad Euſtochium*. Unde factum, ut non ſolùm multa exemplaria Græca, atque Latina, quod annotat prolixè Lucas Brugenſ. in notat. pag. 462. ſed etiam translationes nobiliſſimæ ex Oriente, Syriaca ac Chaldaica eo caruerint. Servatum tamen eſſe ab antiquitate Orthodoxâ, & in Antiquiſſimis Codicibus repertum, imò ad ſanctiſſimi contextus integritatem pertinere, ſolidiſſimè evicit incomparabilis noſtræ Germaniæ Theologus D. Gerhardus, *diſp. ſingul. quæ extat. Tom. 2. diſp. Acad. p. 1233.* Eſt & alterum divinæ ſapientiæ theorema non minus ſuaviſſimæ contemplationis, quod huic immediatè ſubnexum eſt. De quo ἐξήγησιν quandam κατὰ δύναμιν inſtituere animus eſt. Deus opt., Deus Max., Deus Trinus & Unus, ſumma veritas, nos luce cœleſtis ſui teſtimonii animet.

In primis aſſertionis de tribus teſtibus in cœlo.

& de tribus teſtibus in terra.

CAP. I. de Tribus in terra teſtibus textus proponitur

§. 7. Textus itaque ſanctus; quem cum præcedente Dydimus Alexandrin. *Comm. h. ep. qui eſt Tom 9. Bibl. Patr. p. 547.* planè omittit; de quo Eraſmus *in annot. p. 802.* Ita: *In Codice, quem exhibuit publica Bibliotheca Scholæ Baſileenſis, non erat teſtimonium Spiritus, aquæ & ſanguinis*; ita habet *in Edit. Antverp. Oper. Reg. Hiſp.* Καὶ τρεῖς εἰσιν οἱ μαρτυροῦντες ἐπὶ τῆς γῆς, τὸ πνεῦμα, καὶ τὸ ὕδωρ, καὶ τὸ αἷμα. Ita etiam legit Genevenſis in form. 4. cui præfixum eſt Joſephi Scalig. nomē An. 1620. & interlinearis in form. fol. A. 1619. & antiqua Complutenſis Cardinal. Ximenii. Editio N. T. è Bibliotheca Galliarum Regis S. Dionyſiana, quam Robert. Stephanus accuravit, ita habet: Καὶ τρεῖς εἰσιν οἱ μαρτυροῦντες ἐν τῇ γῇ, τὸ πνεῦμα, καὶ τὸ ὕδωρ, καὶ τὸ αἷμα, καὶ οἱ τρεῖς εἰς τὸ ἕν εἰσιν. Ita habuiſſe etiam Codicem Britannicum, cujus meminit Eraſmus, ipſe teſtatur *in Annot p.* 802. Ita etiam habet Editio Raphelengii A. 1601. & Henrici Stephani An. 1576. & Theod. Bezæ, Syriaca Paraphraſis ita habet : ואיתיהון תלתא כהדין רוחא ומיא ודמה ותלתהון בחד אנון: Guid. Fabr. Boderianus ita vertit: *Et ſunt tres teſtes, Spiritus, aqua, & ſanguis, & hi tres in uno ſunt.* Tremellius vertit: *Et tres ipſi in unum ſunt.* Accedit Mart. Troſtius in edit. Cotheniana, Arabica Paraphraſis Erpenii ita legit, translato quantum fas eſt Arabico charactere in Hebraicum: ואלשהוד תלתה אלרוח ואלמא ואלדם והי אלתלתה ואחדה: *Tres teſtãtur, Spiritus, aqua & ſanguis; & hi tres, unum.* Vulgata Rob. Stephani A. 1555. ita legit; *Et tres ſunt, qui teſtimonium dant in terra, Spiritus, aqua, & ſanguis, & hi tres, unum ſunt.* Sequitur vulgata in edit. Vatabli, & Tornæſii A. 1558. & Sixti V. atque Clementis IIX. Paparum. Romanæ correctiones Franciſci Lucæ Brugenſis *h. l.* ad illa verba; *Et hi tres unum ſunt,* ita notant. *Hæc clauſula ſecundò repetita non eſt auferenda, quamvis à multis Latinis libris abſit.* Emanuel Saa, *in notat. bibl. h. l.* ita ſcribit: *Hæc non ſunt Græ. nec in Complutenſ.* Johan. Mariana *in Schol.* ad illa verba ita: *In Regiis Græcis & in Vulgata in Reg. hoc eſt ſublatū.* Franc. Vatablus *in Nov. Transl. ſuâ* ita vertit: *Quoniam tres ſunt, qui teſtimonium dant, Spiritus, aqua & ſanguis, & hi tres unum ſunt.* Addit *in notat. 3.* in unum ſunt ; ſic quædam exemplaria Græca. In Bibliotheca Academicâ noſtrâ quatuor Codices MStos Latinos Epiſtolarum Canonicarum habemus; qui diverſimodè hūc verſiculum habent. In fol. membran. Minimo, ſic habet: *Tres ſunt, qui teſtimonium dant, Spiritus, aqua & ſanguis, & tres unum ſunt.* Adſcriptum autem eſt ab alia manu: *Sicut in cœlo tres ſunt, Pater, Verbum & Spiritus, & tres unum ſunt.* In fol. membr. mĕdio. *Tres ſunt, qui teſtimonium dant.* Supra ſcript. *in terra, Spiritus & aqua & ſanguis, & tres unum ſunt.* Adſcriptum verò: *Et tres ſunt, qui teſtimonium dant in cœlo, &c.* In fol memb. magno. *Quia tres ſunt, qui teſtimonium dant, ſpiritus & aqua & ſanguis & tres unum ſunt, ſicut in cœlo tres ſunt , Pater, verbum & Spiritus, & tres unum ſunt.* In Octav. membr. *Tres ſunt, qui teſtimonium dant in terra, Spiritus, aqua & ſanguis.* Deeſt autem *& tres unum ſunt.* Calvinus ita transfert: *Et tres ſunt, qui teſtificantur in terra, ſpiritus, aqua & ſan-*

Digitized by Google

& ſanguis, & hi tres in unum conveniunt. Beza vertit: *Tres ſunt, qui teſtificantur in terra, Spiritus, aqua & ſanguis: & hi tres unum ſunt.* In annotat. Major. aliter habet. *Et hi tres in illud unum conſentiunt.* Sebaſt. Caſtalio. *Item tres ſunt, qui teſtantur in terra, Spiritus, & aqua & ſanguis, qui tres unum ſunt.* Piſcator. *Tres ſunt, qui teſtificantur in terra, Sp. & aq. & ſanguis & hi tres in unum conſentiunt:* Card. Cajetanus ita habet. *Quoniam tres ſunt, qui teſtificantur, Spiritus, aqua & ſanguis, & tres in unum ſunt.* Anton. Bruccioli Italica verſio ita habet. *Tre ſono, quegli che danno teſtimonio in terra, lo ſpirito & l' acqua & il ſangue, & queſti tre ſono una coſa,* Recentior ita habet. *Tre ſono anchora, che redenno teſtimoniaza in terra, lo ſpirito, e l' acqua e' l ſangue, e queſti tre ſervono ad una coſa* Gallica ita habet. *Auſſi y en a-il trois, qui donnent teſmoignage en la terre, aſſavoir l'Eſprit, l'eau, & le ſang: & ces trois ſont en un. B.* Lutherus ita transfert. Vnd drey ſeyn die da zeugen auff Erden / der Geiſt vnd das Waſſer vnd das Blut / vnd die drey ſeynd beyſammen. Dietenbergius omnia retinet, exceptâ clauſula quam ita convertit, vnd die drey ſeind eins. Belgica ita habet, Wane drie zynder die da er getuychéniſſe gheven op aerden / de Gheeſt / ende dat Water / ende dat Bloet / ende die drie zyn by malcandern. In antiquitate apud Patres & Eccleſiæ Dd. etiam diverſæ reperiuntur translationes. Hygino Papæ, (qui ſedit A. 154. Glabrione & Veriano Conſulibus, teſte Baronio *in annal.* & Bellarm. *in Chron.*) Iſidorus Mercator ὑποβολιεὺς ille attribuit Epiſtolam , in qua ita legitur. *Iohannes ad Parthos, Tres ſunt,* inquit, *qui teſtimonium perhibent in terra, aqua, ſanguis & caro:* poſt quæ verba demum legit verſiculum antecedentem in aliis Codd. *Et tres in nobis ſunt, qui teſtimonium perhibent in cœlo, Pater, verbum & Spiritus, & hi tres unum ſunt.* Ubi obiter noto, quod Hyginiana epiſt. primam Joh. Catholcā *ad Parthos* ſcriptam dicit, habere etiam Anguſtin *lib. 2. quæſtion. Evang. c. 39.* & Idacium *lib. de Trinit.* & alios. Jeſuit. Serarius *Com. ad illam Epiſt.* ſuſpicatur, legendum pro *Parthos Pathmios.* In Pathmos enim Inſulam à Domitiano relegatus Iohannes incolas ad Chriſtum convertit. Franc. Jun. *ad Bellarm. lib. 1. de V. D. c. 15. nū. 22.* per *Parthos* intelligit non incolas Parthiæ, ſed pios exules, diſperſos extra natale ſolū; quam conjecturam etiā habet Tilenus *in animadv. 19. ad iſtud c. Bellarm.* Sermone Scythico exules dictos fuiſſe *Parthos*, teſtis eſt Juſtinus *lib. 41.* ab Hebræo פור quod eſt *dividere, ſeparare,* eſſet ergò eadē inſcriptio cū ea, quæ eſt ad XII. Tribus ἐν διασπορᾷ. Incertum autē eſt, an una cum Scythis etiā Iſraelitæ & Iohannes Apoſtolus exules ἐν τῇ διασπορᾷ vocaverint *Parthos.* Nec quicquā obeſt, ſi *Parthos* propriè capimus, pro eâ gente, quæ tū latiſſimè dominabatur, & plures Oriētis nationes cōplexa eſt, etiā *Perſas*, teſte Tertulliano *lib. de pall. c. 2.* Juſtino *l. 41. & 42.* Plinio *l. 6. c. 25.* in qua etiam multi fuerunt Judæi pariter & Chriſtiani ex Judæis & Gentilib., uti colligere fas eſt, ex *Act. 2. 9.* Tertull. *cont. Iud.* Joſeph. 14. ἀρχ. 12. & 16. 10. & 18 12. Exiſtimatur, vel Johannem prius excurriſſe ad *Parthos*, quàm hanc dediſſet Epiſtolam mnemonicam: vel Epheſios & Aſianos à Johanne con-

Prima Iohannis Canonica dicitur ad Parthos.

verſos

Digitized by Google

verſos ſeminaſſe per commercia cum Parthis apud eos Evangelium, & à Johanne hâc epiſtola inſtructos fuiſſe: ut ut ſit, tradit Anton. Quadrius Jeſuit. Provincial. in India Orient. & Michaël Barulus in Epiſt. Goâ datis, anno 1555. nonnullos etiam tum è Perſis fidem Chriſtianam profeſſos, eam S. Johanni acceptam tuliſſe. Et Parthos non ignaros fuiſſe Græcæ linguæ diſcimus ex Plutarcho, qui Craſſo interfecto græcis verſibus à Parthis illuſum fuiſſe, narrat. Sicut autem Hyginiana epiſtola legit, *aqua, ſanguis & caro*, ita etiam legit Idacius Clarus Lemicenſis in Hiſp. Ep. qui claruit Anno 490. *contra Varimadum*, vel ut alii legunt, *Pharamundum* aut *Varimundum Arianum*, pro Trinitate, liber extat in Hæreſiologia; locus eſt pag. 257. *Tres ſunt, qui teſtimonium perhibent in terra, aqua ſanguis & caro & hi tres in nobis ſunt.* Lectio ſine dubio corrupta eſt, cui eâ in parte conſenſus omnium Codd. repugnat. Epiſtola verò Hyginiana hypobolimæa eſt, uti certis characteribus illud oſtendit David Blondellus *in Pſeudo Iſidoro p. 189. & ſeqq.* Porro Ambroſius Mediol. Epiſc. *lib. 3. de Sp. S. cap. 11. Tom. 2. op.* Ita legit. *Quia tres ſunt teſtes, Spiritus, aqua & ſanguis, & hi tres unum ſunt in Chriſto Jeſu.* Auguſtinus *Tom. 6. op. contra Maximinum Arianorum Epiſcopum lib. 3. cap. 22. pag. 754.* ita legit. *Tres ſunt teſtes Spiritus, aqua & ſanguis, & tres unum ſunt.* Cyrillus Alexandrinus *Tom. 3. lib. de fide ad Reginas p. 116.* ita legit. *Quod tres teſtantur, Spiritus, aqua & ſanguis: & hi tres unum ſunt.* Eandem lectionem habet *lib. 14. theſaur. cap. penult.* Alios jam prætterimus.

CAP. II. *de Authentia verborũ Iohannæorum quæſtiones.*

§. 8. De ſancto hoc textu antequam ad elucidationem ejus deſcendamus, tria circa authentiam conſideranda ſunt I. *An verba illa*: in terra, *ſint authentica?* II. *An verba*, hi tres unum vel in unum ſunt, *ſint de textu divino?* III. Affirmato hoc; *utra lectio ſit divina num hæc, quæ habet* καὶ οἱ τρεῖς ἕν εἰσιν? *an verò illa, quæ habet*, εἰς τὸ ἕν? De I. ait Socinus Comm. h. l. pag. 417. *Etiamſi in quibuſdam emendatis exemplaribus inveniuntur, in emendatioribus tamen non habentur.* Et pag. 415. *Ea à multis Exemplaribus Græcis Manuſcriptis, in* [illegible] *ibus alioqui triplex illud prius teſtimonium legitur, minimè legi, videtur teſtari editio in folio R. Stephani, ubi tamen, quemadmodum Lovanienſes animadverterunt, typographicum mendum ſubeſſe videtur.* Ibi *ſuppoſititia* & *addititia* etiam iſta verba vocat, Fr. Lucas *in Notat. h. l. p. 462*, ait. *Quinque ſcripta auferunt univerſa hæc*: in cœlo, Pater, verbum & Spiritus Sanctus, & hi tres unum ſunt. Et tres ſunt, qui teſtimonium dant. *legunt duntaxat*; Quoniam tres ſunt, qui teſtimonium dant. in terra, Spiritus, &c. *Quibus Syriaci Codd. & Græci non pauci conſentiunt. Epanorthotes, deeſſe hæc eadem Græcis libris & antiquis Latinis, annotat. His multi veterum Patrum ſuffragantur, inter Latinos Auguſtinus lib. 3. contra Maximin. cap. 22. Leo Epiſt. 10. cap. 5. Beda hanc enarrans ſcripturam. Inter Græcos, Cyrillus lib. 14. theſaur. c. 5. Oecumenius in hunc ſcribens locum. Et horum tum Autorum, tum Codicum pleriq;*

1. An verba in terra *ſint authẽtica?*

Conf. lib. 3. Decretal. tit. 41. poſt. c. 8.

etiam

Digitized by Google

etiam τὸ in terrâ *auferunt*. Eraſmus *in annotationibus p. 802.* ait. *Duos conſului Codices miræ vetuſtatis Latinos in Bibliotheca, quæ Brugis eſt, D. Donatiani. Neuter habebat teſtimonium Patris, Verbi & Spiritus. Ac nec illud quidem in altero addebatur*, in terrâ. *Et ſanè non habentur illa verba, in terrâ, in Syriacâ & Arabicâ Paraphraſi: non apud Ambroſium, Auguſtinum, Cyrillum, &c.* Tenendum nihilominus, quod ad ſubſtantiam textus divini pertineant. Nam I. verba illa, *in terrâ*, extabant in Codd. Græcis probatiſſimis tempore Hieronymi, uti conſtat ex ejus prologo in Epiſt. Canonicas. 2. Extant in *Codice Anglico* ſeu *Britannico*, uti appellatur, quem producit in Annotationibus ſuis Eraſmus: ad quem etiam Sixtus Senenſis *in Biblioth. lib. 7. p. 613.* & Beza *in annotat. h. l.* provocant. 3. Extant in illis Codicibus, quos ex primariis Europæ Bibliothecis adſciverat *Card. Ximenius*, cùm Compluti adornaret editionem Biblicam, de qua vide Anton. Poſſevin. *in Apparatu p. 223. & Bibl. ſel. l. 2. c. 23.* De fide ſuâ in exemplaribus perluſtrandis, ita ſcribit ipſe Ximenius in dedicat. ad Leonem X. *Id apertè teſtari poſſumus, maximam laborum partem in eo potiſſimum fuiſſe verſatam, ut caſtigatiſſima omni ex parte vetuſtiſſimaq; exemplaria pro archetypis haberemus, quorum quidem tàm Hebræorum quàm Græcorum & Latinorum multiplicem copiam variis ex locis non ſine ſummo labore conquiſivimus. Atq; ex ipſis quidem Græca Sanctitati tuæ debemus, qui ex Apoſtolicâ Bibliothecâ antiquiſſimos tum V. tum N. T. Codices perquam humanè ad nos miſiſti, &c.* 4. Extant in illis Codicibus, quos in Novi Teſtamenti editione Hiſpaniarum Regis Philippi II. Theologi ſecuti ſunt, quorum Princeps Benedictus Arias Mont. ſcribit; quod *varia paſſim exemplaria ex Hiſpaniâ, Italiâ & Belgio conquiſita habuerint*, inter quæ probatiſſima atque vetuſtiſſima ſecuti fuerint. 5. Extant in *novem è ſedecim* codicibus, quibus partim è Regiâ Gallorum Regis Bibliothecâ, partim aliunde uſus eſt diligentiſſimus vir, Rob. Stephanus. 6. Extant in illis exemplaribus, quibus variis, uti profitetur, uſus eſt Laurentius Valla, qui in annotationibus de his verbis huic textus inſertis nihil diſcrepantiæ indicat: 7. Extant in illis exemplaribus, quibus Baſileenſes Frobenius & Hervagius, & Tigurinus Froſchoverus in accurandâ N. T. editione uſi fuerunt. In illis enim variæ lectiones ex MStis exemplaribus & Doctorum obſervatione collecta adſcribuntur, ſed in his verbis nihil annotant, quod ſubreptitium quiddam arguat. 8. Extant in Codicibus MStis Græcis, quibus uſus eſt Theodorus Beza, inter quos inprimis ſæpiſſimè laudat unum venerandæ vetuſtatis, & alium ex Rob. Stephani Bibliothecâ cum viginti quinq; plus minus Manuſcriptis Codd. & omnibus penè impreſſis diligentiſſimè collatum, in quibus verba illa, ἐπὶ τῆς γῆς extabant. Unde 9. hodiè in Latinis, Græcis, Germanicis, Polonicis, Italicis, Hiſpanicis, Gallicis, Hungaricis, Bohemicis, Belgicis, Danicis, Suecicis, Anglicis excuſis exemplaribus ſumma ferè circa hanc particulam eſt conſenſio, etiam inter diverſæ religionis homines. Quod in nonnullis Codicibus Biblicis, tàm Græcis, quàm Latinis, aut

etiam apud Syrum & Arabicum Paraphraſtem non ſunt, factum eſt, vel ob defectum accuratè emendatorum Codicum , quorum in illâ librariæ rei difficultate tanta non potuit eſſe copia, vel ob hæreticorum malitiam, qui ſicut alibi paſſim eradere nonnulla indubitatæ veritatis elogia è S. Codice auſi fuerunt, ita cùm & hîc Triadem cœleſtium teſtium eraſiſſent, & verba illa, *in terrá*, ipſis eatenus obſtare cernerent, quatenus terrenorum teſtium triade poſitâ, etiam cœleſtes requiri videbantur, ideoq; verba etiam hæc eradenda eſſe cenſuerunt. 10. Quanquam nonnulli Patres eadem verba non legant, non obſtat nobis. Potuerunt namq; Patres etiam in corrupta exemplaria incidiſſe, quæ exiſtimarunt eſſe veriſſima. Unde Hieronymo & ante eum Origeni accidit, ut, cùm prudentiâ Criticâ ſphalmata quædam ſubmoviſſent è receptis codicibus & ad ſuam priſcam ſinceritatem revocaſſent lectionem, malè in Eccleſiâ audiverint. Sæpè etiam ſummatim locum aliquem ſcripturæ S. recitant, ubi non omnia verba loci producunt, & tamen omiſſa non illicò pro ſuppoſititiis habenda ſunt. Commentarii Clementi Alexandrino tributi in Epiſt. Canonicas, qui etiam omittũt illud, *in terrá*, quos infrà producemus, non ſunt indubitatò Clementis. Vide Rivet. *in Critico ſacro p.191.* Quot verò inter antiquos Dd. Eccleſiæ legunt illud de tribus teſtibus in cœlo elogium, illi etiam hæc verba in terrâ legere debuerunt. Fatetur hoc ipſe Socinus *Comm. h.l. p. 425. Planè faciendum videtur, ut retineantur ea duo verba v. 8.* in terrâ, *ſi retineatur triplex prius teſtimonium cum verbis illis*, in cœlo. &c. Illud v. de tribus in cœlo teſtibus extat apud Cyprianum *de Unitate Eccleſiæ p.164.* Athanaſium *in diſput. cum Ario, T.1. p.109* apud Antiquum ſcriptorem, qui hucuſq; ſub nomine Athanaſii ad Theophilum de Unitâ Eſſentiâ Deitatis delituit , inter ejus opera, *Tom.2. p.399. & 432.* Victorem Uticenſem, qui floruit An. 490. *ſub fin. lib.2. de perſecutione Vandalicâ.* Fulgentium Ruſpenſem in Africâ Epiſcopum, *in reſp. ad objecta Arianorum in hæreſiol. p. 47.* Ambroſium Ansbertum in *c.1. Apocal. anno Chriſti. 76.* Radulphum *in Ep. Dom. 2. poſt paſcha. A. 1060.* Rupertum Tuitienſem *de operibus Sp. S. lib.3. de ſap. c.2. A.1119.* & alios. Lateranenſe Concilium , cui Græci etiam Archiepiſcopi & Patriarchæ interfuerunt, *Can. 2.* Græcos Codd. ita legiſſe oſtendit. Sunt adhæc inter Dd. Eccleſiæ veteres, qui agnoverunt illa verba. Idiacus Clarius ſuprà à nobis nominatus & Hieronymus. Seculo 531. fertur Johannem II. Epiſcopum Romanum ſcripſiſſe Epiſtolam ad Valerium Epiſcopum, quæ extat Tom. II. Conciliorum Edit. Binianæ p. 403. in quâ demonſtraturus; Chriſtum dominum ſecundum Deitatis naturam Patri æqualem, ſecundum v. humanam naturam minorem eſſe; inter cætera ſic loquitur: *Iohannes Evangeliſta ait: In principio erat verbum, & verbum erat apud Deum, & Deus erat verbum. Et iterum ipſe ad Parthos: Tres ſunt, inquit, qui teſtimonium perhibent in terrâ, Spiritus, aqua & ſanguis, & tres unũ ſunt, Et tres ſunt, qui teſtimoniũ perhibent in cœlo, Pater, verbũ & Spiritus, & hi tres unum ſunt.* Cæterùm hanc Epiſtolam non minus ex improbi Iſidori

Merca-

Digitized by Google

Mercatoris officina eſſe, demonſtravit Dav. Blondellus *in Pſeudo Iſidoro p. 597.* Ita legit Bernardus Claræ Vallis Abbas *ſerm. 1. in oct. Paſchæ.* Nicol. Lyranus, Anſelmus Laudunenſis, Strabo Fuldenſis, Hugo de S. Caro, & alii vetuſtiores: è recentiorib. ut dixi, nemo ferè repugnat. 11. Requirit illa verba ēt ſcopus Capitis quinti, & penè univerſæ Epiſtolæ. Is eſt, oſtendere, quanto veritatis invictæ atq; inſuperabilis robore SS. Myſterium redemptionis & ſalutis humanæ per Jeſum Chriſtum ſalvatorem noſtrum partæ conſtet. Cap. 1, 1. 2. 3. & ſeq. ſtatim orditur hanc apodixin graviſſimâ obteſtatione. *Quod fuit ab initio, quod audivimus, quod oculis noſtris conſpeximus, quod vidimus, quod manus noſtræ comprehenderunt: & rurſus; quod vidimus & audivimus, verbum vitæ, annunciamus vobis.* Q. d. tàm certum eſt Salvatorē Jeſum, cum univerſo ſalutis myſterio *in terrâ* viſum auditumq; fuiſſe, ut nos, qui in Collegium ipſius ſanctius adſciti fueramus, & viderimus & audiverimus, & manib. contrectaverimus. Et rurſum, ἡ ζωὴ ἐφανερώθη, *vita apparuit* ſc. in *terrâ*. Hanc materiam enumeratis peculiarib. illius myſterii actib. atq: beneficiis ad finem uſq; Capitis percurrit. Cap. 2. Moralia quædam ex diviniſſimâ hujus admirandi myſterii *in terrâ* φανερώσεως deducit Apoſtolus, & diligenter admonet & munit cōtra Antichriſtos, v. 18 & ſeqq. negantes, Chriſtum in carne veniſſe, & Jeſum Nazarenum eſſe Chriſtū, adeoq; ut ſalutare Orbis *in terrâ* veniſſe. Cap. 3, 16 poſt varia argumēta dilectionis ſanctæ, ēt proponit animæ Jeſu Chriſti factā pro nobis *in terrâ*, poſitionem, tanquam ſingulare pignus & teſtimonium ſalutis noſtræ fideliter divinitùs curatæ. Cap. 4, 2 & 3. Canones dignoſcendorum Spirituum proponit. *Omnis Spiritus, qui confitetur Ieſum Chriſtum in carne veniſſe* (non tantū in quæſtione An ſit, ſed & in reliquis quæſtionum & cauſarum generibus juxta S. literas) *ex Deo eſt.* Et rurſum: *Omnis Spiritus, qui non confitetur Ieſum Chriſtum in carne veniſſe, ex Deo non eſt, & hic eſt Spiritus Antichriſti:* Itaq; filium Dei ἔνσαρκον *in terrâ* fuiſſe graviſſimo teſtimonio S. Spiritus *in terrâ* confitendum eſt. v. 9. novum eſt argumentum, ex quo lucet quantum interſit, teſtari *in terrâ* de Jeſu Chriſto. *In hoc apparuit,* inquit S. Johannes, *charitas Dei in nobis, quod Filium ſuum unigenitum miſit Deus in mundū, ut vivamus per ipſum* v. 10. *In hoc conſiſtit charitas, quod Deus dilexit nos, & miſit Filium ſuū* (*in terram,* ut & ille de ſe, & omnes ſancti Dei viri de ipſo *in terrâ* teſtarentur) ἱλασμὸν περὶ τῶν ἁμαρτιῶν ἡμῶν. Et v. 14. *Nos vidimus & teſtificamur, quod Deus Pater miſerit filium ſuum* (in terram) σωτῆρα τοῦ κόσμου. Cap. 5, 1. *Omnis qui credit, quod Ieſus* (qui ſine omni dubitatione *in terrâ* fuit) *ſit Chriſtus ex Deo genitus eſt.* v. 5. *Nemo vincit mundum, niſi qui* (*in terrâ* exiſtens, ibi etiam credit, quod ibi teſtimoniis divinis eſt corroboratum) *credit quod IESVS* (qui *in terrâ* fuit & ſanguinem fudit) *ſit Filius DEI.* Ubi igitur viſus & auditus, imò manibus contrectatus eſt Dominus JESUS, ubi vita apparuit primum; ubi ſunt pernicioſi negatores illius myſterii, falſi & Antichriſtiani Spiritus, & rurſum, Deo aggregandi & copulandi animi, ubi ſunt contradictiones

innumerabiles & ipſe mundus vincendus, ibi etiam opus eſt teſtimonio pro viſo & audito, pro vita, contra negatores, falſos Spiritus, in ſalutem animorum beandorum. At *in terrâ* iſta omnia ſunt. *In terrâ* ergò iſtis teſtimonio divino ſubveniendum, aut contraveniendum eſt. 12. v. 6. c. 5. omnem dubitationis anſam omninò præſcindit, & τὸ *in terrâ* in textu omninò ſtabilit. *Hic eſt qui venit per aquam & ſanguinem, Ieſus Chriſtus, non per aquam ſolùm, ſed per aquam & ſanguinem, &c.* Quorſum Jeſus Chriſtus hoc loco dicitur veniſſe, ubi aqua & ſanguis Jeſu Chriſti comparuerunt, ibi teſtimonium etiam divinum per aquam & ſanguinem perficitur. S. Johannes n hæc duo tamquam adventus dominici illuſtria documenta & monumenta perenniter teſtificantia introduxit. Dicitur a. Jeſus Chriſtus h. l. *in terram*, ad homines *in terrâ* adhuc viventes veniſſe, itemq; *in terrâ* aqua & ſanguis Domini Jeſu comparuerunt. In terrâ igitur etiam teſtimonium divinum perficitur. Ipſo igitur textu ſancto poſtulante τὸ *in terrâ* ad textum pertinet.

2. An verba & hi tres unum vel in unum ſunt, ſint de textu?

§. 9. De II. *An hæc verba*; Et hi tres unum, vel in unum ſunt, *ſint de contextu divino?* ita loquitur infauſtus Socinus, *Comm. h. l. p. 423. Cum fuit animadverſum, ſi eadem iſta verba; Et hi tres unum ſive in unum ſunt, (quæ leguntur apud aſſertionem triplicis teſtimonii cœleſtis) legerentur dicta ſimiliter de Spiritu & aqua & ſanguine, ex illis non conſecuturum, Patrem, verbum & Spir. S. eſſe ejuſdem eſſentiæ, cum certè Spiritus, aqua & ſanguis diverſæ inter ſe eſſentiæ ſint, veriſimile eſt, ex multis Codicibus fuiſſe iſta verba abraſa, ubi de Spiritu & aqua & ſanguine fit mentio.* Franc. Lucas Brugenſis *in Notationib. h. l. p. 462.* ita ait: *Id quod poſtremum eſt octavi verſus, ad eos qui in terrâ teſtantur ſpectans, & hi tres unum ſunt, multa Latina exemplaria, nominatim id, quod à S. Andreæ ſodalibus olim ſcriptum eſt, D. Thoma ſuffragante, tollunt. Quibus Græca Complutenſis editio cum filiabus adſtipulatur*: Et ſanè ex diverſis lectionib. & translationibus ſacri textus apparuit, deeſſe illa verba in Opere Regio Hiſpanico Antuerp. in verſione N. T. interlineari Genevæ cusâ: in editione in 4. Scaligeri nomine inſignitâ: Etiam Vulgatā Reg. illa verba non habere teſtatus eſt Mariana Jeſuita. In quarto Codice noſtræ Acad. Bibliothecæ etiam deeſſe, annotavimus ſuperius. At illa verba legūtur 1. in Hieronymo. 2. In Codice antiquiſſimo Britânico. 3. In Codd. quos è Regia Bibliothecâ Gallicana & aliunde accerſiverat Rob. Stephanus, ſedecim. 4. in Codicib. Vaticanis, quib. Laurentius Valla uſus eſt. 5. in Baſileenſib. quib. Frobenius & Hervagius & Tigurinis, quib. Froſchoverus uſus eſt. 6. in quinq; Exemplarib. MStis Theod. Bezæ 7. in Codicib. Aldinis, quib. Venetiis uſus eſt Aldus Manutius in adornandâ editione Græca V. & N. T. 8. Syrus & Arabs Paraphraſta illa verba repræſentant. 9. Patres Latini illa verba habent, ut notavimus. 10. Textus non reſpuit ſed requirit. Nam de intrinſecâ ratione perfectionis teſtimoniorum divinorū in negotio ſalutis noſtræ eſt, ut ſint conſpirantia & concordiſſima in unum.

Verum

Digitized by Google

Verum vero conſonat. Hæc autem trias teſtimoniorum ad id directa eſt, ut in negotio ſalutis noſtræ ſtabilimentum & fundamentum tueatur. Sua igitur *τάξει* & ordinatione divinitùs facta ad unum conſpirare & concordare certiſſimum eſt. II. Quod ſuſpicatur Socinus, *illa ab iis abraſa fuiſſe, qui interſeruerunt triadem teſtimonii cœleſtis, ne illa verba quibus dicitur, & hi tres unum ſunt, ex quibus pro unitate eſſentiæ trium perſonarum teſtificantium in cœlo ſumitur, ad unitatem Concordiæ etiam tantum traherentur, ſicut hæc de teſtibus in terrâ ad unitatem Concordiæ referenda ſunt*; frivolum eſt. Aliam enim rationem eſſe, cur unitas teſtium cœleſtium eſſentialis ſit dicenda, non item unitas teſtium terrenorum, infra oſtendemus. Et ad hanc Arianam, Samoſatenianam, Photinianamque *ἔνστασιν* ſexcenties reſponderunt Patres.

§. 10. De III. quia differentes ſunt lectiones, & quidam Codd. habent 3.
Vtra lectio, ἕν, an verò εἰς τὸ ἕν ſit authentica.
ἕν εἰσι, quidam *εἰς τὸ ἕν εἰσιν*, *quænam genuina* ſit, paucis diſpiciendum eſt. Socinus ſibi fingit objectionem, quaſi nos ideò pro lectione poſteriori, quæ habet, *εἰς τὸ ἕν εἰσιν*, adeò pugnemus, ut obtineamus diverſam rationem unitatis, quæ cœleſtibus teſtibus tribuitur, ab ea, quæ attribuitur teſtibus in terra; & ſic argumentum pro *ὁμοουσίᾳ* trium cœleſtium ſalvemus. Ita inquit pag. 424. *Si quis dixerit id, quod nos ipſi jam confeſſi fuimus, in non paucis emendatis exemplaribus non eſſe verba iſta unitatem ſignificantia, ubi agitur de Spiritu, aqua & ſanguine, præter id, quod jam dictum fuit ad confirmandum, hanc eſſe tamen veram lectionem, ut ſcilicet ibi hæc verba legantur, dicimus, ſatis eſſe quod legantur in omnibus exemplaribus, in quibus legitur triplex cœleſte teſtimonium, cum iſtorum eorundem verborum adjectione, unde unitas iſta eſſentiæ Patris, Verbi & Spiritus probari poſſe videatur, in omnibus, inquam, ejusmodi exemplaribus, præter, ut jam dictum, Complutenſem editionem: quanquam non videtur eſſe neceſſarium, illam excipere ex prædicto numero, cùm ad illum minimè pertinere cenſenda ſit, quippe quòd in eâ non legatur, de Patre, verbo & Spiritu S. quòd unum ſint, ſed quod in unum ſint. Multò enim minus ex hoc loquendi modo videtur colligi poſſe unitas eſſentiæ, quàm ex illo. Unde factum eſt, ut quamvis exemplaria Latina, in quibus totus hic locus habetur, ut vulgò haberi diximus, utrobique habeant, unum ſunt, in vulgatis tamen exemplaribus Græcis hodiè obtinuerit, ut priori quidem loco, ubi ſc. de Patre & Verbo & Spiritu S. agitur, legatur,* unum ſunt; *in poſteriori verò, ubi Spiritus, aqua & ſanguinis ſit mentio, legatur,* in unum ſunt: *ubi ſc. poſſet quidem ex priori loco unitas eſſentiæ colligi, ſed non ita ex poſteriore; & hâc interim ratione præcidatur exceptio, quæ poſſit fieri, ut ſanè fieri ſolet, ex loco poſteriore adverſus eos, qui ex priore unitatem eſſentiæ colligunt. Neq; enim exceptioni iſti poteſt eſſe locus, ſi in poſteriori aliter legatur, quàm in priore, & quidem ita, ut non perinde ex eo unitas eſſentiæ intelligi queat, ut ex priore poteſt.* Hæc Socinus, ſatis calumnioſè! Sanè diverſitatem quandam eſſe inter exemplaria Græca & Latina, collatio patefacit. Franc. Lucas *in not. l. c. de* hac particula ſancti textus ita ait. *Legitur, ut in Latinis aliis libris, ita*

Digitized by Google

& in reliquis quæcunque vidimus, exemplaribus Græcis; ad hæc in Syricis teſtamentis: deniq; à Patribus: at differenter. Latini enim Codd. cum Auguſtino, Cyrillo, Leone, Beda; Et hi tres unum ſunt, habent; *Græci vero cum Oecumenio & Syricis.* Et hi tres ad, vel in unum ſunt καὶ οἱ τρεῖς εἰς τὸ ἕν εἰσιν. At notandum eſt. I. In ſenſu ipſo, nullã eſſe diſcrepantiã, ſive legamus, ad unũ ſunt ſive unũ ſunt. Nã hi tres teſtes in terra ita in unũ ſunt, ut etiam certo reſpectu unum ſint, & ita unum ſunt, ut etiam in unum vel ad unum ſint. Ex uno, per unum, propter unũ, circa unum, ſub uno, ad unum, in unum & unum ſunt, uti exegeſis dilucidabit. II. Facilè fieri poſſe, ut Librariorum vitio apud Latinos, ad quos provocat Socinus, præpoſitio *ad* vel *in* exciderit. Exempla ex collatione Editionum Vulgatarum Sixti V. & Clementis IIX. innumera colligit Thomas Iames *in bello Papali.* Et aliquot etiam Correctorium Romanum ſubminiſtrat. Nihil attinet loca addere. III. Nullam autem rationem fuiſſe, ut præpoſitio εἰς inſereretur Codd. Græcis. Nam illam, quam prætendit Socinus, nullam eſſe inferius manifeſtabimus. IV. Græcos Codd. quotquot hanc partem de trium in terra teſtium unitate habent, conſtanter legere, εἰς τὸ ἕν; & ſequi V. variarum nationum Interpretes. Unde & nobis, cur recedamus, cauſa patet nulla.

CAP. III. Variorum interpretũ in hunc textum exegeſes. Tertulliani.

§. II. Textu, cum translationibus & authentiâ, expedito, ſequitur exegeſis: In ea explicandum, quæ ſit 1. teſtium *natura, 2. numerus, 3. operatio, 4. ubietas, 5. unitas.* Antequam hoc præſtemus, curramus age per varios retrò Interpretes, & illorum de hoc loco meditationes proponamus. Tertullianus *de baptiſmo cap. 16. p. 224.* inquit: *Eſt quidem nobis etiam ſecundum lavacrum, unum & ipſum, ſanguis ſcilicet: de quo Dominus, Habeo, inquit, baptiſmo tingui, cum jam tinctus eſſet. Venerat enim per aquam & ſanguinem, ſicut Iohannes ſcripſit, ut aqua tingeretur, ſanguine glorificaretur. Proinde ut nos faceret aqua vocatos, ſanguine electos, hos duos baptiſmos de vulnere effoſſi lateris emiſit: Quia qui in ſanguinem ejus crederent, aqua lavarentur, qui aqua laviſſent, etiam ſanguinem potarent.*

Clementis Alex.

Clemens Alexandrinus *Com. in Ep. Joh.* (de quibus tamen dicit Bellarminus *lib. de ſcript. Eccleſiaſticis* Anno 204. *Meminit Caſſiodorus l. 1. Div. Inſtit. explanationis Clementis Alexandrini in Epiſtolas Canonicas: quæ explanatio an ea ſit, quæ in Bibliotheca ſanctorum Patrum invenitur, non facile judicare poſſum*) ita explicat, *Sp. eſt vita, aqua, regeneratio & fides, ſanguis, cognitio.*

Cypriani.

Cyprianus *de Unitate Eccleſiæ c. 5.* poſtquam triplex teſtimonium cœleſte, Patrem, Filium & Sp. S. hosq; tres unum exiſtentes, recitaſſet ſubdit. *Et quisquam credit hanc unitatem de divina firmitate venientem, cœleſtibus ſacramentis cohærentẽ ſcindi in Eccleſia poſſe & voluntatum collidentium divortio ſeparari?* Ubi cum divino cœleſtique teſtimonio SS. Trinitatis perſonarum *teſtimonium cœleſtium ſacramentorum* cohærere quando dicit, *procul dubio ad teſtimoniũ triplex in terra ſpectat, in eoq; cœleſtia ſacramenta tuetur.* In libello *de duplici martyrio,* quem inter Cypriani opera habent Manutius & Morellus, quem H. Gravius putat eſſe

tateſſe ipſius Eraſmi, de quo Pamelius in argumento ita loquitur: *Cypriani non eſſe patet, quod in eo Diocletiani Imperatoris, & belli Cæſarei contra Turcas fiat mẽtio, ſed Neoterici cujuſdam eſſe cenſeo: quem & Bellarminus de Script. Eccleſiaſticis p.94.* repudiat. vide *Rivet. in Cr. p.* 218. in iſto, inquam, libello latiſſimè illud Iohannæum elogium exponitur: de Spiritu in ara crucis emiſſo, aqua & ſanguine ex latere effoſſo emanante, tandem ſect.9. hæc verba extant. *Triplex eſt teſtimonium Spiritali quodam modo. Clamat Spiritus, qui nobis Arrhabonis loco datus eſt; Abba Pater teſtificans, quod ſumus filii Dei. Clamat aqua, per quam renati ſumus, quod condonata ſunt nobis omnia peccata. Et ſi quis adhuc dubitat, accedit ſanguinis teſtimonium, quid adhuc hæſitas? quid adhuc pavitas tyrannũ Satanam? Ecce pretium, quo te redemit Dei filius. Niſi te ſalvum voluiſſet DEus, non tradidiſſet unigenitum ſuum in mortem. Atq; ut conſideremus, hanc fore perpetuam amicitiam, reliquit nobis edendam carnem ſuam, reliquit bibendum ſanguinem, ut per eadem aleremur, per quæ ſumus redempti.* Ambroſius *lib. 1. de Sp. S. cap. 6. p. 123. In illo aquarum ſepelimur elemento, ut renovati per Spiritum reſurgamus. In aqua enim imago mortis, in Spiritu pignus eſt vitæ: ut per aquã moriatur corpus peccati, quæ quaſi quodam tumulo corpus includit, & per virtutem Sp. renovemur à morte peccati renati in Deo. Et ideo hi tres teſtes unum ſunt, ſicut Johannes dixit, aqua, ſanguis & Spiritus. Unum in myſterio, non in naturâ. Aqua igitur teſtis eſt ſepulturæ, ſanguis teſtis eſt mortis, Sp. teſtis eſt vitæ. Si quæ ergo in aqua gratia; non ex naturâ aquæ, ſed ex præſentia eſt Sp. S. Nunquid in aquâ vivimus, ſicut in Sp.? Nunquid aquâ ſignamur ſicut in Sp.?* &c. Et *lib. 3. de Spir. S. cap. XI. p. 156. Ut de S. Spiritu ſcripſiſſe ſe Evangeliſta reſeraret, per aquam, inquit, & Spiritum venit Chriſtus Jeſus. Non ſolum in aqua, ſed per aquam & ſanguinem & Sp. teſtimonium: quoniam Sp. eſt veritatis, quia tres ſunt teſtes, Spiritus, aqua & ſanguis, & hi tres unum ſunt in Chriſto Jeſu. Audi quomodo teſtes, Sp. mentem renovat, aqua proficit ad lavacrum, ſanguis ſpectat ad pretium. Sp. enim per adoptionem nos filios Dei fecit; ſacri fontis unda nos abluit; ſanguis Domini nos redemit. Alterum igitur inviſibile, alterum viſibile teſtimonium ſacramento conſequimur ſpiritali, quia Spiritus teſtimonium reddit Spiritui noſtro, Et ſi in utroq; plenitudo ſit ſacramenti, diſtinctio tamẽ muneris eſt, E. ubi diſtinctio muneris, nõ eſt utiq; teſtificationis æqualitas.* Greg. Nyſſenus *in Orat. cont. Jud. p. 329.* ita ad hunc locũ alludit. *Sanguinem & aquã ex div. Dominicoq; latere fluxiſſe ab Evangelio docemur, non ſimpliciter, ſed primum quidẽ ideo, quod purificationes legales ad figuram & adumbrationem horum duorum tum aſperſiones ſanguinis, tum luſtrationes per aquam peragebant: deinde v. etiam, quod ubi veritas venit, ſumma noſtræ ſalutis per aquam & Spiritum myſticè perficitur atq; completur, quoniam tum per divinum baptiſma, tum per ſancti ſanguinis participationẽ & uſum conſecrari nos ac divinitatem induere credimus, quemadmodũ his ipſis dictionibus & verbis divinus Orator Chryſ. exponit: Exivit, inquit, ſanguis & aqua oſten-*

Ambroſii.

Greg. Nyſſeni.

Chryſoſtomi.

oſtendente ſcripturâ, quod non ſimpliciter ejuſmodi fontes proſiluerint, ſed quo-
niam ex his ambobus Eccleſia conſtat. Atque id cognoſcunt & intelligunt fide-
les, qui per aquam quidem ſunt renati, per ſanguinem autem & carnem alun-
tur. Atque hinc myſteria ſumunt initium, ut cum ad horrendum poculum ac-
cedis, tanquam ab ipſo domini latere bibiturus accedas. Et poſt: Paucæ guttæ
ſanguinis totum mundum reformantes & inſtaurantes, atq; omnib. hominib. ſicut
coagulum lacti evadunt, in unum nos cogentes & conjungentes, ut per utrorum-
que patrum ſententiam conjungantur non ſolum virtus baptiſmatis, & divini
ſanguinis participatio, una quidem per aquam, altera vero per ſanguinem, ve-
rùm etiam ipſa humanæ naturæ firma certaq; eſſet probatio, &c. Huc etiam con-
Hieronymi, Euthymii, Auguſtini. cedunt Hieronymus epiſt. 83. & Euthymius Zigaben. ad Joh. cap. 19. Augu-
ſtinus Tom. 6. contra Maxim. Arianor. Epiſc. l. 3. c. 22. p. 754. Scrutare, in-
quit, ſcripturas Canonicas V. & N. Teſtamenti, & inveni ſi potes, ubi dicta ſunt
aliqua, unum ſunt, quæ ſunt diverſæ naturæ atque ſubſtantiæ. Sanè falli te nolo,
in Epiſtola Johannis Apoſtoli, ubi ait, tres ſunt teſtes, Spiritus, aqua & ſangu-
is, & tres unum ſunt; propter hoc admonui ne fallaris. Hæc enim ſacramenta
ſunt, in quibus non quid ſint, ſed quid oſtendant, ſemper attenditur; quoniam ſi-
gna ſunt rerum, aliud exiſtentia & aliud ſignificantia. Si ergò illa quæ his ſigni-
ficantur, intelliguntur, ipſa inveniuntur unius eſſe ſubſtantiæ: tanquam ſi dica-
mus, Petra & aqua unum ſunt, volentes per Petram ſignificare Chriſtum, per a-
quam, Spiritum S. quis dubitat petram & aquam diverſas eſſe naturas? Sed
quia Chriſtus & Spiritus S. unius ſunt ejuſdemque naturæ, ideò cùm dicitur Pe-
tra & aqua unum ſunt, ex ea parte rectè accipi poteſt, quia iſtæ duæ res, quarum
eſt diverſa natura, & aliarum ſigna ſunt rerum, quarum eſt una natura. Tria
itaq; novimus de corpore Domini exiſſe, cum penderet è ligno. Primò ſpiritum,
unde ſcriptum eſt: Et inclinato capite tradidit Spiritum. Deinde, quando la-
tus ejus lanceâ perforatum eſt, ſanguinem & aquam. Quæ tria, ſi per ſe ipſa in-
tuemur, diverſas habent ſingula quæq; ſubſtantias. Ac per hoc non ſunt unum.
Si verò ea, quæ his ſignificata ſunt, velimus inquirere, non abſurdè occurrit ipſa
Trinitas, quæ unus, ſolus, verus, ſummus Deus eſt, Pater, filius & Spiritus S. de
quibus veriſſimè dici potuit, tres ſunt teſtes, & tres unum ſunt: ut nomine Spi-
ritus ſignificatum accipiamus Deum Patrem; de ipſo quippe adorando loqueba-
tur Dominus, cùm ait: Spiritus eſt Deus. Nomine autem ſanguinis Filium;
quia verbum Caro factum eſt. Et nomine aquæ, Spiritum S. Cum enim de a-
qua loqueretur Jeſus, quam daturus erat ſitientibus, ait Evangeliſta: Hoc autem
Paulini. dixit de Spiritu, quem daturus erat credentibus in eum, &c. Paulinus Nolanus
in ep. ad Florentium p. 324. Chriſtum vocat Petram, quæ latere lanceâ perfora-
to aqua fluxit & ſanguine, ut pariter ſalutiferos nobis funderet fontes, aquam
Cyrilli Alex. gratiæ & ſanguinem ſacramenti. Cyrillus de rectâ fide ad Regin. l. 1. p. 116. v.
Oecolamp. Vincit quidem mundum, qui credit, quod Jeſus eſt filius Dei. Quis
autem

Digitized by Google

autem Ieſus, ipſe nobis diſcipulus explanat, dicens: hic eſt, qui venit per aquam &
ſanguinem, Ieſus Chriſtus. Sed & in ſanguine & in Spiritu, & tres unum eſſe di-
cit. Igitur verbum quidem caro factum eſt, ſanctificat autem nos Spiritu & puri-
ficat ſanguine, & abluit iterum aquâ mundâ. Unus autem utique omninò filius, cu-
jus & eſſe dicimus Spiritum & aquã & ſanguinem. Leo Magnus Epiſt. 10. c. 5. p. Leonis M.
104. Quia tres ſunt, qui teſtimonium dant, Spiritus, Aqua & ſanguis: & hi tres
unum ſunt. Spiritus utique ſanctificationis, & ſanguis redemptionis, & aqua ba-
ptiſmatis, quæ tria unum ſunt & individua manent, nihilque eorum à ſui con-
nexione ſejungitur. Beda Comm. h. l. tom. 5. fol. 1040. Venit per aquam & ſangui- Beda.
nem, aquam vid. lavacri & ſanguinem ſuæ paſſionis. Non ſolùm baptizari pro-
pter noſtram ablutionem dignatus eſt, ut nobis baptiſmi ſacramentum conſecra-
ret ac traderet, verùm etiam ſanguinem ſuum dedit pro nobis, ſuâ paſſione nos re-
dimens, cujus ſacramentis ſemper refecti nutriremur ad ſalutem. Gregorius Gregorii
Nazianzenus Orat. 2. de Theologia, quæ eſt de Spir. S. p. 317. edit. Billiana, ita ad Naziani.
hunc locum ſcribit. Quid Iohannes? cùm in Catholicis Epiſtolis ſuis tres eſſe ait,
qui teſtimonium dant, Spiritum, aquam & ſanguinem, videtur ne tibi delirare?
Primum, quia res ſubſtan::â diverſas connumerare auſus eſt, quod tu conſub-
ſtantialibus tantum tribuis. Quis enim hæc unius ejuſdemque ſubſtantiæ eſſe di-
xerit. Alterum, quia minimè congruente redditione uſus eſt, ſed cùm tres maſcu-
lino genere præpoſuiſſet, tria neutro genere ſubjunxit, contra quam tuæ atque et-
iam Grammaticæ leges ferant. Quid enim intereſt, aut cum tres propoſueris, u-
num & unum & unum ſubinferre: aut cum unum & unum & unum dixeris,
non tres, ſed tria appellare id, quod tu in divinitate admittere gravaris. Ad hæc
verba ita ſcribit Elias Cretenſis Comm. hujus orat. p. 190. Edit. Baſil. Hæc tria Eliæ Cre-
ſunt, quæ de Incarnatione ſermonis Dei teſtantur: Spiritus quidem id temporis, tenſis.
cùm deſcenderet in eum ſpecie columbæ: aqua v. & ſanguis, cùm è latere illius
profluerent. Nam quod hæc de ipſius corpore profluxerint, idipſum quiddam e-
rat, quod naturam humanam excederet. Joann. Damaſcenus l. 4. de orthod. fide, Iohannis
c. 5. Scaturivit nobis ex ſancto & incontaminato latere Chriſti fons remiſſionis, a- Damaſce-
qua in regenerationem & ablutionem peccati & corruptionis, ſanguis v. potus, ni.
vitæ æternæ cauſa. Et præcepta nobis dedit, per aquam regenerari & Spiritum,
Spiritu S. per imprecationem & invocationem aquæ ſupervenienti. Nam & cum
duplex eſſet homo ex animâ & corpore, duplicem & nobis indulſit purgationem,
per aquam videl. & Spiritum. &c. In quæ verba ita ſcribit Jodocus Clichto- Iodoci Cli-
veus p. 30. Illud otioſè non eſt prætereundum fontem baptiſmalem habuiſſe effica- chtovei.
ciam ſuam, ſicut & ſignificantiam ex ſcaturigine aquæ de latere Domini noſtri,
lanceâ poſt mortem transfixo. Fuit enim illa ſcaturitio fontis remiſſionis & rege-
nerationis in Chriſto, per quem in aquâ & Spiritu renaſcimur Deo. Sicut & e-
manantio ſanguinis eodem tempore ex latere Chriſti, deſignavit ſuum pretioſum
ſanguinem, relictum nobis in potum & cauſam vitæ æternæ, in digniſſimo ſcil. & Paſchaſii
omnium ſacrorum excellentiſſimo Euchariſtiæ ſacramento, &c. Paſchaſius Rat- Ratberti

bertus Abbas Corbejenſis *lib.1.de corp.& ſang.Chriſti, Tom.4.Biblioth.ſanct. Patr.p.180. Tria ſunt, quæ teſtimonium dant, quod Chriſtus eſt veritas, Spiritus, ſanguis & aqua. Nimirum poſtquam emiſit Spiritum, de fonte pectoris ſui contra naturam manavit felix unda baptiſmi, & ſanguis redemptionis: intelligit verò ſanguinem in cœnâ potabilem.*

Strabi Fuldenſis.

Strabus Fuldenſis *in gloſsâ ordinariâ editâ Anno.840.h.l.* ita habet. *Spiritus, id eſt, anima, quam emiſit in paſſione, aqua & ſanguis, quæ fluxerunt de latere, veram carnis naturam teſtantur.*

Anſelmi Laudunenſis.

Anſelmus Laudunenſis *in gloſſa interlineari Anno.1077.* ita habet: *Qui erat æternus, venit ad ſalutem & peccatorum remiſſionem, per aquam baptiſmi & ſanguinem paſſionis, & non ſolum dignatus eſt baptiſari propter noſtram ablutionem, & ut baptiſmi ſacramentum nobis conſecraret, ſed & ſanguinem pro noſtrâ redemptione dedit.*

Oecumenii.

Oecumenius *Com.h.l.* per aquam *baptiſmum*, per ſanguinem *crucem*, per Spiritum *reſurrectionem*, vel potius *Deitatem* intelligit, quæ in Cruce & reſurrectione apparuit.

Algeri.

Algerus Scholaſticus Leodienſis, ac poſtea Monachus Cluniacenſis *lib.1.de ſacramento, c.19. Tom.6.Bibl.S Patrum, p.499. Quia mirum fuit, mortales de cœlo ſecundum promiſſionem Chriſti Spiritum ſanctum, & mortuum more viventis non ſaniem, ſed ſanguinem, imò ſupra morem vivorum & mortuorum cum ſanguine aquam de vulnere lateris fundere, quod tamẽ ſicut miraculum, ſic conſtat & fuiſſe myſterium.* Et accommodat ad aquæ & vini, in S. Euchariſtiâ commixtionem.

Bernhardi.

Bernhardus Claræ vallenſis *ſerm. 1.in oct. paſchæ. Memento ſanè hunc eſſe Iohannem, qui vidit & teſtimonium perhibuit, & ſcimus, quia verum eſt teſtimonium ejus: exiſſe de latere Domini dormientis in cruce ſanguinem ſimul & aquam, quo videl. dormienti novo Adamo nova de latere ſuo proferretur pariter & redimeretur Eccleſia. Sic ergò hodieq; ad nos per aquam & ſanguinem venit, ut ſit aqua & ſanguis teſtimonium adventus ejus, fideiq; victricis. Non ſolum a. ſed teſtimonium majus eſt his, quod perhibet Spiritus veritatis. Horum trium teſtimonium verum certumq; eſt; & felix anima, quæ meretur illud accipere. Tres enim ſunt, qui teſtimonium dant in terrâ, Spiritus, aqua & ſanguis. In aqua quidem baptiſmum intellige, in ſanguine martyriũ, in Spiritu charitatem. Spiritus enim eſt, qui vivificat, & fidei vita, dilectio. Neceſſariò quoq; Spiritus additur aquæ & ſanguini, cum teſte Paulo, ſine charitate quicquid habeas nihil proſit. Iam v. quia baptiſmum aquâ, martyrium diximus ſanguine deſignari, memento & unicum & quotidianum eſſe baptiſmum, ſimiliter & martyrium. Eſt n. & martyrii genus & effuſio ſanguinis in quotidiana corporis afflictione, eſt & baptiſmus aliquis in compunctione & lacrymarum aſſiduitate. Et poſt. Meritò ſanè unus eſt, qui in terrâ pariter & in cœlo teſtimonium perhibet, Spiritus, quod ſive corporis afflictio ceſſabit, ſive lacrymarum fons exiccabitur, ſed charitas nunquam excidit. Prælibatio quædam eſt in præſenti, conſummatio & plenitudo in futuro manet. Veruntamen licet maneat poſt aquam & ſanguinem Spiritus, aqua quippe & ſanguis regnum Dei non poſſidebunt,*

Digitized by Google

bunt, interim tamen aut vix aut nullo modo invenire eſt Spiritum ſine illis, quoniam hi tres, inquit, unum ſunt, ut quolibet ex his tribus deficiente, adeſſe cætera non præſumas. Simul verò juncta teſtimonia illa, credibilia facta ſunt nimis, &c. Petrus Bleſenſis, Archidiac. Bathoienſis A. 1177. *ſerm. 22. de Trinitate p. 374. oper.* ita ſententiam Bernardi ſecutus loquitur. *Tres ſunt, qui teſtimonium dant ſenſis. in terrâ, Spiritus, aqua & ſanguis, h. e. charitas, baptiſmus & martyriũ.* Et poſt *Beatus ille, qui prædictos teſtes ſecum adduxerit, cui caritas habita atteſtabitur, cui fides ſe nutritam in aquis baptiſmi alligabit, cujus vox ſanguinis clamabit de terrâ pro eo. Veruntamen beatus, cui atteſtabuntur duo ex his, ita duntaxat, quod unus ex duobus ſit Spiritus: ſufficiet enim Spiritus & aqua, ſufficiet Spiritus & ſanguis, ſi aquam non excluſit contemtus religionis, ſed articulus neceſſitatis, ſufficiet Spiritus ſolus, quia teſtimonium ipſius pondus habet.* Eadem habet *ſerm. 24 p. 384.* Innocentius III. Pontifex *in Ep. ad Ferrarienſ. Epiſc. lib. 3. decret. Gregor. tit. 41. de celebrat. Miſſar. c. 8.* differit contra illos, qui exiſtimant in poculo Euchariſtico affuſam aquam in phlegma mutari, quia de latere Chriſti non aqua, ſed humor aquaticus exierit. *Adverſus hujusmodi hæreſes*, inquit, *Iohannes Apoſt. in Epiſtolâ ſuâ loquitur, dicens:* tres ſunt, qui teſtimonium dant in terrâ, Spiritus aqua & ſanguis. *Per hoc intendens oſtendere, quod Chriſtus ſit verus homo. Nam ad eſſe hominis duo principaliter exiguntur, vid. corpus & anima, ex quorum conjunctione verus homo ſubſiſtit. Per hoc autem quod in articulo mortis inclinato capite tradidit Spiritum, manifeſtè probatur, quod ipſe Spiritum habebat, non ſolum flatum vitalem, ſed etiam animam rationalem. Per hoc autem quod unus militum lanceâ latus ejus aperuit & continuò ſanguis exivit & aqua, probatur apertè, quòd Chriſtus verum corpus habebat. Nam de Phantaſtico corpore, nec ſanguis nec aqua exire potuiſſet. Addit idem. Si non fuiſſet aqua, ſed phlegma, quod de latere Salvatoris exivit, ille, qui vidit & teſtimonium veritati perhibuit, profectò non aquam, ſed phlegma dixiſſet, nec in hoc verum regenerationis Sacramentum fuiſſet oſtenſum, cum per ſacramentum baptiſmi non regeneremur in phlegmate, ſed in aquâ.* Thomas Aquinas *Comm. h. l.* Et tres ſunt *ſc. teſtes, qui teſtimonium de humanitate Chriſti ſecundum gloſſam dant in* terrâ, *ad literam h. e. in inferiore parte mundi, vel in* terrâ, id eſt, *de humanitate, quæ eſt terra ratione carnis. Et ponitur pars humanitatis pro toto. Vel* in terrâ, *hoc eſt, in terrenis humanitatem Chriſti confitentibus. Et notandum, quòd, ubi ponitur teſtimonium de divinitate, dicitur* in cœlo, *ubi autem de humanitate, dicitur* in terrâ; *quod valdè congruit, ut de cœlo detur de divinitate teſtimonium, de terra autem teſtimonium de humanitate.* In reliquis ſequitur gloſſam; niſi quod per ſanguinem etiam eum intelligi poſſe dicat, qui in circumciſione & oratione ad montem oliveti, itemque in flagellatione effuſus eſt. Nicolaus Lyranus *Comm. h. l.* Et tres ſunt, &c. *hic ponitur tertia manifeſtatio, quæ eſt per CHRISTI paſſionem, in quâ anima CHRISTI fuit à corpore ſeparata, &*

Petri Bleſenſis. *Innocentii III.* *Thomæ Aquinatis.* *Nicolai Lyrani.*

à corpore mortuo fluxerunt ſanguis & aqua. Dicitur igitur: Et tres ſunt, qui teſtimonium dant in terrâ, *veritatem filii Dei manifeſtando*, Spiritus, *id eſt, anima Chriſti, in quâ ad limbum Patrum deſcendit, & eis ſe manifeſtavit, oſtendendo ſuam Deitatem & paternalem proprietatem, ex tunc enim Deum clarè viderunt, propter quod dominus dixit Latroni*, hodiè mecum eris in paradiſo. aqua & ſanguis, *quæ veritatem manifeſtant in Eccleſia Sacramentis, habentibus efficaciam ex ipſis: quæ quidem ſacramenta conferuntur in fide & confeſſione Trinitatis*. Et hi tres unum ſunt, *quod conveniunt in aſſertione unius Trinitatis & veritatis*. *Thomæ Cajetani.* Thomas de Vio Cajetanus, *h.l.* Et tres ſunt, qui teſtimonium dant in terrâ, Spiritus, aqua & ſanguis, & hi tres unum ſunt. *Non ſic Græcè habetur, ſed ſic*: Quoniam tres ſunt, qui teſtificantur, Spiritus, aqua & ſanguis, & tres in unum ſunt. *Ita, quod poſtquam dictum eſt*, quod Spiritus eſt veritas, *ſubjungitur*, quoniam tres ſunt, qui teſtificantur, Spiritus, aqua & ſanguis, *directè rationem reddendo propoſitorum, vid. quod Ieſus venit in aquâ, & ſanguine, & Spiritus eſt, qui teſtificatur. Horum n. dictorum ratio redditur ex hoc, quoniam hi tres, aqua, ſanguis & Spiritus teſtificantur quidẽ, ſed in unum coeunt vid. teſtimonium Spiritus S. Spiritus n. eſt, qui teſtificatur de ſanguine Chriſti oblato in cruce & aquâ baptiſmali*. *Ambroſii Catharini* Ambroſius Catharinus *C.h.l.* per Spiritũ intelligit *Spir. S. internum donum*, per aquã, *aqua baptiſmũ*, per ſanguinem *immolationes Martyrũ*. *Thomæ Anglici.* Thomas Anglicus, *C.h.l.* aquæ nomine intelligit etiam *Chriſti lacrymas, in cunabulis, in ſuſcitatione Lazari, in Cruce*; ſanguinis nomine, *eum qui fuſus eſt in circumciſione & paſſione. Deniq; vult Spiritũ eſſentialiter ſumi pro Deo, & Deitate, hancq; teſtificatam, quod Chriſtus eſſet veritas, id eſt, verus Deus, & homo, &c.*

Gregorii Primaticcii. §. 12. E recentioribus Pontificiis, Gregorius Primaticcius Senenſis *Comm. h.l. Senis excuſ op. 145*. Tres ſunt, qui teſtimonium dant in terrâ, id eſt, *de Chriſti humanitate, in terris exiſtente ante mortem, vel tres teſtimonium dant in terrâ, id eſt, de Chriſti humanitate ex terrâ formatâ, quo ad nativitatem temporalem. Et qui ſunt illi, qui dant tale teſtimonium, quod fuit verus homo iſte, ſc.* Spiritus, id eſt, *anima rationalis, quam emiſit in cruce, aqua* & ſanguis, *quæ fluxerunt de ejus latere, cùm unus militum lanceâ latus ejus aperuit*: & hi tres ſunt unum, *propter unam perſonalitatem, quia natura divina & natura humana ſubſiſtunt in una perſona, & ſunt una perſona, quia humanitas non habebat propriam perſonalitatem, ſed ſubſiſtebat in ſuppoſito divino*: vel; illa tria ſunt unum, *propter unius affectus unitatem, quia in ſacramento baptiſmi Spiritus S. eſt vivificans, aqua eſt abluens, & ſanguis Chriſti eſt redimens*. *Iohannis Marianæ Emanuelis Saa.* Joh. Mariana & Emanuel Saa, Jeſuitæ, in Scholiis & notis h.l. Spiritũ dicunt eſſe *animã in morte poſitam*, aquam & ſanguinem, *id quod è latere Chriſti defuncti fluxit*. *Iohannis Lorini.* Joh. Lorinus Jeſuita ita ſcribit Com. h.l. p. 117. *Videtur Iohãnes probare Chriſti divinitatẽ triplici teſtimonio. Tria n. de vero Meſſia, ut rectè annotavit Heſſelius, prædicãtur potiſſi-*

Digitized by Google

potiſſimum in V. Teſt. de quibus meminit hic atque deinceps Johannes. Primum eſt, quod eſſet ſanguinem proprium effuſurus; ſecundum eſt, quod homines participes futuri eſſent tam pretioſi ſanguinis per corporalem aquam, id eſt, per baptiſmum, Tertiò, quod Chriſtus miſſurus eſſet Spiritum ſuum in totum terrarum orbem. Johannes Chriſtum ait veniſſe, nempè per incarnationem, non tantum in aqua baptiſmum inſtituendo, ſed etiam in ſanguine, tum illum pro nobis fundendo, tum ejus pretium ac meritum in ſacramentis communicando, tum bibendum in Euchariſtia proponendo, præterea in Spiritu, qui ſimul datur in baptiſmo aliisq; ſacramentis, vel qui largiùs & viſibili modo datus eſt in Pentecoſte. Guilielmus Eſtius Comm. h. l. p. 894. profitetur, ſe eum ſenſum, qui ex aliarum Guilielmi Eſtii.
ſcripturarum collatione maximè germanus eſſe videtur, allaturum. Igitur notandum, inquit, inprimis eſt, omnes Evangeliſtas ſtudiosè referre de Johanne Baptiſta, quod in aqua baptizaverit, & ad hoc venerit à Deo miſſus, ipſo Johanne de ſe teſtificante: Quoniam, inquit, ego baptizo in aqua, Matth. 3. Marc. 1. Luc. 3. Joh. 1. quod & de eo repetit Dominus Act. 1. & Petrus Act. 11. & Paulus Actor. 19. quia & Ioh. 1. ſic de ſe Baptiſta loquitur: Ut manifeſtetur in Iſrael, propterea veni ego in aqua baptiſans. Ubi certè monſtrat ſe eum eſſe, qui venit in aqua ſolùm; ad differentiam ejus, qui venturus eſſet non in aqua ſolùm, ſed in aqua & ſanguine, ſicut hic dicitur. Et quamvis expreſſè non dixerit, poſt ſe venturum, qui baptiſaret in ſanguine, ſed qui in Sp. S. ut teſtantur iidem omnes Evangeliſtæ, de ſanguine tamen non tacuit. Nam in ſanguine venturum, ſatis apertè indicavit, quãdo de eo dixit: Ecce agnus Dei, qui tollit peccata mũdi. Agnus Dei tollit, utiq; per ſanguinem, quem ad tollendum mundi peccatum erat effuſurus in cruce. Pertinet autem huc evidentius hiſtoria aquæ & ſanguinis manantis è latere Chriſti in Cruce mortui. Ioh. 19 Quārem voluit adeò inculcatam Lectori propter myſterium in ea latens, ut adjecerit aſſeveratione͂; ſc. ad confirmandum, quod Hic, de cujus latere iſta effluxerunt, ſit idem ipſe, qui venit per aquam & ſanguinem. Oſtendit igitur Apoſtolus h. l. Ieſum eſſe verum mundi Salvatorem, utpote qui non in aqua ſolum, id eſt, non ſolum exterius homines abluturus aquâ, & eo ritu pœnitentiam prædicaturus, quomodo Joh. B. ſuâ ipſius profeſſione venit in aqua ſolùm, ſed qui venerit etiam in ſanguine & Spiritu: ſiquidem aqua ſola ad Deum placandum inutilis erat. Venit autem Jeſus in aqua, quia inſtituit baptiſmum aquæ, quem ſignificavit aqua, quæ fluxit ex ejus latere. Venit & in ſanguine, quia per ſuum ſanguinem vivificat animas, tùm in baptiſmo aquæ, tùm in aliis ſacramentis, tùm etiam extra ſacramenta. Per Spiritum intelligit Eſtius humanum Chriſti Spiritum, ſeu animam. Antonius Brucciolus In Comment. Itali- Antonii Bruccioli.
co ſuper ſcripturam Tom. 6. pag. 44. edit. Venet. poſtquam dixiſſet, Per che tre ſono, quegli che danno teſtimonio in cielo, il padre, & il verbo, & lo ſpirito ſancto. addit. Non e aſſai eſemplari greci: & appare eſſent aggiunto in margine, da qualche uno, il quale nõ vidde, per la acqua ſignificarſi le celeſte dottrina, per ſãgue

Digitized by Google

la redemptione,& per lo ſpirito la virtu & amminiſtratione divina. Iſidorus
Iſidori Cla-rii. ClariusFulgin.Epiſc.*notat.Bibl.h.l.videtur alludere ad Moſen,qui venit per a-*
quam,cum illo Duce per mare tranſiit populus,quod baptiſmi figura fuit. Venit
ergò per aquam ſolùm Moſes,qui ſignificabat quidem figura quadam ablutionē
hominis,non tamen exhibuit reipsâ juſtificationem,quia defuit ſanguis. At Ieſus
Chriſtus non ſolum attulit baptiſmum ſignificantem ablutionem peccatorum,ve-
rumetiam obtulit ſanguinem,quo nos redempti ſumus à peccatis noſtris, & quo
ipſe baptiſmus accipit efficaciam. Additur etiam Spiritus,quia Sp.eſt veritas.
Et poſt.*Tres ergo teſtes habemus,Spiritum,operibus tantis Sp.S. in terra decla-*
ratis in nomine Ieſu,aquam & ſanguinem,& hi tres unum ſunt,h.e.in unum con-
Didaci Yangua. *veniunt de Chriſto teſtimonium.*Didacus Yanguas *in Promtuar.Conc.l.1.tract.*
*de paſſione,p.405.*cum gloſsâ ſentit &addit.*In hac re invenimus grande myſte-*
rium,ut agnoſcant fideles,ſe habere ab illo latere Chriſti aquam emundationis &
ſanguinem Calicis ſalutaris,quo in myſtica menſa inebriantur amatores Dei.Fe-
lices illi,qui ab ipſo dominici pectoris latere & fonte haurire merentur, & bibere
Alf. Sal-meronis. *vulnerati ſanguinem,&c.*Alfonſus Salmeron quatuor recitat interpretationes
Tom.16.diſp.30.p.306.venit per aquam,I. id eſt,cōgregavit populos multos, quia
aquæ multæ populi multi;& venit per ſanguinem,*id eſt,eos ad ſe congregatos re-*
*demit à ſanguine.*II.Per aquam intelligit *ſapientiam de cœlo allatam,* per ſan-
guinem *autem ſuam cruentam oblationem.* III.Venit per aquam,id eſt, *ſuſcepit*
baptiſmum Ioh.,& per ſanguinem,*quia ſanguinem fudit.* IV. Vult *duo ſacra-*
menta N.T.velut duplicem baptiſmum hic innui,per aquam baptiſmum aquæ ,
per ſanguinem,alterum ſacramentum Euchariſtiæ,in quo corpus & ſanguis Chri-
ſti,per quod,quaſi per mare rubrum, tranſeunt regenerati in terram promiſſam
& paſcuntur & potantur & à delictis ſuis purificantur. Cū Yangua ferè facit Ioh.
Iohannis deCarthagena. deCarthagena *lib.XII.hom.Cathol.in univerſa relig.arcana hō.2.p.915.*&Franc.
Toletus *in c.19.Ioh.p.315.*Serarius Jeſuita *Com.h.l.p.70.*per Spiritum intelligit,
Franc. Toleti. Nic. Serarii. *fidelium & juſtorum Spiritum,qui Sp.S.effectum eſt, quo renovati,uncti, & edo-*
*cti ſunt.*Primò quidem,*quia de eodem Spiritu ſupra c.2,27.c.3,24.c.4,13.deinde*
infra etiam v.10.qui credit in filium Dei,habet teſtimonium Dei in ſe,*quod ipſi*
*videl.teſtatur Deus,& quo ipſe aliis teſtatur,*ut Ioh.3.qui accipit teſtimonium e-
jus,ſignabit,quoniam Deus verax eſt.*Deniq, aliter hic & v. 8. Sp.accipi, quam*
v.7.indicat ipſe Apoſtolus,quando v.7. apposuit ſanctum. Per aquam intelligit
*eam,quâ ad peccatorum noſtrorum elutionem baptiſamur,*per ſanguinem,*eum,*
quo nos redempti ſumus. Primò quidem,quia *prædictum erat, Chriſtum ſangui-*
*nem effuſurum.*Eſ.63.Pſ.51.68.70.*baptiſmo ſordes abluturum.* Ezech. 36.47.
Zach.12.13.Deindè,*quia,ut ait hic Thomas,hæc per aquam & ſanguinem è late-*
re ipſius manantem ſignificata, & duo ſacramenta baptiſmum & Euchariſtiam
Cornelii à Lapide. *maximè ſignificant aqua & ſanguis.*Corn.à Lapide,*Com.h.l.p.535.*primò dicit,
perSp.intelligi *literaliter Sp.in Cruce emiſſum,per aquam & ſanguinem,id quod*
è late-

Digitized by Google

è *latere Criſti emanavit*. Deinde dicit, *valde appoſitè ad literam, & penè literaliter aquam Sanguinem & Spiritum conſiderari, non ſolùm, quatenus in Cruce emiſſa & effuſa, ſed etiam, quatenus in reſurrectione reſumpta, vi propriâ tàm humanitatis, quam divinitatis. Anima enim*, inquit, *& Sp. Chriſti jam glorificatus vi propria acceptâ à divinitate, cui erat hypoſtaticè unita, univit ſe corpori in ſepulchro, illudq; animavit, vivificavit & glorificavit*. Tertiò dicit, *Myſticè per hæc ſignificari tria, quæ ad juſtificationem noſtram concurrunt, itaq; de Chriſto teſtimonium perhibent: ſanguinem n. ſignificare ſanguinis & mortis Chriſti meritum, nobis in juſtificatione applicatum, aquam, ablutionem & purgationem peccatorum; Spiritum, adſpirationem & infuſionem Spiritus, id eſt, vitæ ſpiritalis, gratiæ, charitatis, cæterarumq; virtutū, quibus juſti efficimur*. Huc refert *Ambroſium, Cyrillum, Leonem* loc. add. *Allegoricè*, quartò dicit, *notari tria præcipua Sacramenta, aquâ, baptiſmum; ſanguine, Euchariſtiam; Spiritu, pœnitentiam. Symbolicè*, quintò dicit *ſignificari* I. Juxta Bernhard. per aquam, *baptiſmū, quamquam, alii per eam, tribulationes, alii, ſapientiā; alij, gentium multitudinē adūbrari velint*: per ſanguinem, *martyrium*; per Sp., *charitatem*. II. Iuxta Bald. Cantuarienſem *l. 1. de Euchariſtia, c. 18. Juſtos, pœnitentes, martyres. Spiritus*, inquit enim, *juſtorum, aqua pœnitentium, ſanguis martyrum teſtantur Chriſtum redemptorem*. III. Iuxta Clementem Alex. per Spiritum *vitam*, per aquam *fidem & regenerationem*, per ſanguinem *cognitionem, virtutes ſalutiferas Salvatoris*. IV. Iuxta Auguſtinum *tres SS. Trinitatis perſonas, Spiritu, Patrem; ſanguine, Filium; aquâ Spiritum S. Tropologicè* ſextò juxta Bernhardum, *ſanguine ſignificari continentiam, aquâ lacrymas, Spiritu opera Spiritualia*. Addit demùm, Baronium *Tom. 2. Annal. An. Chriſti* 106. cenſere, à Iohanne hîc perſtringi *Elxai Hæreſiarcham, ejusq; fratrem Jexeo, qui ut ait Epiphan. hær. 19. à Judæis oriundus & cum Judæis ſentiens, introducens ſalem & aquam & terram & panem & cœlum & æthera & ventum juramentum ipſis in divinum cultum præfinivit ac tradidit. Aliquando v. rurſus alios ſeptem teſtes præſcripſit, cœlum, inquit, & aquam & Spiritus, & S. Angelos orationis, & oleum, & ſal, & terram. His enim ſuperſtitioſis Jexeo hæretici teſtibus Johannem oppoſuiſſe ſex veros teſtes, tres cœleſtes & tres terreſtres: fuiſſe autem hunc Iexeo cum Elxai coævum Iohanni, floruiſſe Anno Chriſti 106. cum Iohannes vixerit A. Chriſti 101.*

§. 13. Ex ſacramentis Zvvinglius, *Com. h. l. p. 597. Aqua*, inquit, *nos baptiſmum Chriſti, atq; omnia, quæ Chriſto baptiſato juxta baptiſmū contigêre, virtute ſynecdoches, intelligimus. Per ſanguinē, non eundē ſolùm, qui è latere Chriſti mortui in cruce lancea perfoſſo effluxit, ſed quicquid circa Crucem Chriſti miraculoſum evenit, interpretamur. Cæterum, Spiritus S. nomine non ſolùm apparitionem illam, quâ ſpecie columbæ è cælo veniens, ſuper caput Chriſti baptiſati conſedit, ſed & miraculum Pentecoſtes, &c.* Oecolampadius *Demagor. 19. in Ep. Ioh. p. 85.* per aquam intelligit *teſtimonium Ioannis Bapiſtæ*, per ſanguinē *teſtimoniū Centurionis*,

Zvvinglii

Oecolampadii.

Digitized by Google

turionis, de ſanguine & aqua è latere Chriſti fluentibus, per Spiritum *teſtimoniũ Apoſtolorum, qui accepto Sp. S. variis loquebantur linguis.* Addit verò. *Videmur autem hic & præcipuorum Sacramentorum admoneri, quæ ad confirmandas noſtras conſcientias potiſſimùm data. Et clamant, niſi ſtupidi ſimus & perfidi, Chriſt. Deum. Et n. Sacramentalibus ſignis non minus fides juvatur, quã ſi maxima miracula in oculis noſtris Chriſtus faceret. Duobus n. Sacramentis benignam ſuã erga nos voluntatẽ Chriſtus indubitatam eſſe voluit, quorum Symbola hic nominantur, nempe aqua & ſanguis, quæ ex latere Chriſti mortui effluxerunt, non abſq; myſterio. Nempe ut olim Eva ex latere Adæ ſumpta, ita & dormiente ſecundo Adam in cruce ex latere ejus profluxerunt myſteria, quib. nata eſt & confirmata Eccleſia. Aquâ baptiſmus, ſanguine Synaxis, quæ & ad Martyrium cohortatur, nobis commendatur.* Calv. *Com. h. l. p. 97. Non dubito, quin ad veteres legis ritus alludat in vocibus aquæ & ſanguinis.* &poſt. *Aqua n. abluebantur omnes ſordes, ut homines non niſi puri & mundi ad Deum accederent. In ſanguine erat expiatio & plena cũ Deo reconciliationis pignus. Sed lex externis tantùm ſymbolis adumbravit, quod ſolidè ac re ipſa à Meſſia ſiſtendum erat. Aptè igitur probat Ioh., Ieſum eſſe Chriſtum Domini, olim promiſſum, quia ſecum attulit, quo nos omni ex parte ſacrificet. Ac de ſanguine quidem, quo Chriſtus Deũ placavit, nulla eſt dubitatio; ſed quomodo per aquam venerit, quæri poteſt. Nam hoc ad baptiſmum referri, probabile non eſt. Ego certè exiſtimo, Johan. hic fructum & effectum exprimere ejus rei, quã in hiſtoria Evangelica narrat. Nam quod illic dicit, ex Chriſti latere fluxiſſe aquã & ſanguinem, haud dubiè pro miraculo habendum. Scio tale quid mortuis naturaliter accidere; verùm certo Dei conſilio factum eſt, ut Chriſti latus ſanguinis & aquæ fons eſſet, ut ſcirent fideles, veram munditiam (cujus figuræ erant veteres baptiſmi) in eo ſibi conſtare, ut ſcirent etiam completum, quod omnes ſanguinis adſperſiones olim promiſerant.* Nicolaus Hemingius, *Com. h. l. p. 797. Sp. eſt credentium perſuaſio, aqua eſt ipſa regeneratio & ſanctificatio, ſanguis eſt juſtitia, id eſt, expiatio peccatorum per ſanguinẽ Chriſti, & juſtitiæ Chriſti imputatio.* Refert etiam Hemming. illam opinionem, quæ dicit, aquâ baptiſmum, ſanguine Euchariſtiam, Sp. Evangelium notari, & in medio relinquit. Aretius *Com. h. l. p. 109. Sp. teſtis eſt, quia in Miniſterio efficax. Accipio igitur pro miniſterio doctrinæ, quod durabit in mundo ſemper usq; ad finem. Aquam hic accipio pro baptiſmo, in quo Chriſtus eſt declaratus Dei filius, & eadem autoritate nobis reliquit baptiſmum à ſe inſtitutum. Sanguis eſt mors Chriſti, cujus doctrina ſemper durat, & in cujus memoriam inſtituit cœnam, tanquam verus DEUS. Dei enim ſolius eſt, ſymbola ſacra inſtituere & abolere.* Bullingerus *in Comm. p. 103. ita* loquitur. *Græca quidem veritas* οὗτος ἐστιν ὁ ἐλθὼν δι' ὕδατος καὶ αἵματος, &c. Hic eſt ille veniens, aut qui venturus erat per aquam & ſanguinem Jeſus Chriſtus; *quaſi ſenſerit divinum Spiritum per ſcripturas pronunciaſſe, aliquando venturũ eſſe Salvatorem, qui ſe orbi probaturus ſit per aquam & ſanguinem, quod ſit Salvator.*

Calvini.

Nic. Hemmingii.

Aretii.

Bullingeri.

Per

Per aquam v. intelligimus cœleſtem doctrinam & ſapientiam, idq; ob puritatem
& quod reficiat ac fluat. & poſt. *Sed & ſanguinis nomine alluſit ad vetera ſa-*
crificia. Ponit ergo ſanguinem pro hoſtiâ, remiſſione & redemptione. Et hoc ver-
ſu. *Quis non videt, aquâ ſignificari cœleſtem virtutem & doctrinam, ſanguine*
redemptionem, & Spiritu virtutem & adminiſtrationem divinam. Petrus Mar- *Pet. Martyris.*
tyr. *Loc. Com. claſſ. 1. cap. 2. pag. 49.* per omnia B. Auguſtini ſequitur accommo-
dationem. Theodor. Beza. *Annot. maj. pag. 614. Teſtimonia, quæ nobis ſunt* *Theod. Beza.*
magis familiaria, adeoq; intra nos ipſos inſculpta, ſi modo filii Dei ſumus, hæc
ſunt. Aqua, ſanguis & Spiritus. *Poſtulat autem argumenti ſeries, ipſaq; adeò ho-*
rum teſtimoniorum deſcriptio, nempè, quod in terrâ, atq; adeo quod in unoquoq;
ſanctorum eſſe dicantur, ut ad hæc capita revocemus omnia Chriſti in nobis ha-
bitantis effecta, quæ expoſitio non minus cohærens, quàm plana & perſpicua fue-
rit. Aquæ igitur Appellatione ablutionem à peccati labe intelligo, cujus erant
ſymbola purificationes illæ ſub lege uſurpatæ, & cujus quoque peculiaris nunc
eſt teſſera baptiſmus: ſanguinis autem nomine expiationem & perſolutionem pro
peccatis intelligo, nempè ſanguinis Chriſti adſperſionem, cujus etiam viſibile
Symbolum eſt aquæ adſperſio Sacramentalis in baptiſmo: ſicut & hujus peccato-
rum expiationis & illius ſanctificationis teſſera eſt efficaciſſima Cœna Domini,
in quâ reficimur & augemur in Chriſto, quem in baptiſmo induimus, ut non
immeritò dixerit Auguſtinus; hæc duo Sacramenta Eccleſiæ Chriſtianæ ex Chri-
ſti latere velut effluxiſſe, cùm ex ejus perfoſſo latere proflueret ſanguis & aqua.
Spiritum denique exiſtimo vocari vim & efficacitatem Spir. S. ſeſe per fidei fru-
ctus, id eſt, charitatem in omnibus verè ſanctis exerentem, &c. Calvinum imi- *Marlorati*
tatur Marloratus, *in Exp. h. l.* Hieronym. Zanchius, *de 3. Eloh. lib. 1. part. 1. cap.* *H. Zanchii.*
1. pag. 4. ferè ad verbum Bezæ interpretationem ſequitur: ſed pag. 6. intelligit
per aquam *doctrinam Evangelii; quam Chriſtus operâ Apoſtolorum ſparſit per*
totum terrarum orbem: per ſanguinem, *qualitatem mortis, quam non pro ſuis*
peccatis, ſed pro alienis obiit: per Spiritum, *potentiam ſuæ Deitatis, quâ ſe variis*
effectis, quis eſſet, declaravit. Piſcator, *in analyſ. h. l.* Per Spiritum intelligit *Ev-* *Piſcatoris.*
angelium: per aquam v. & ſanguinem, *aquam illam & ſanguinem illum, quæ*
fluxerunt è latere Chriſti: quatenus iis adumbrata fuit vis atque efficacia, per
expiationes & ablutiones legales olim præfigurata. Nec tamen fuerit abſurdum,
per ἀντανάκλασιν nomine aquæ intelligere baptiſmum, nomine v. ſanguinis Cœ-
nam Dominicam, dummodo verò vocabulum ſanguinis non accipiatur propriè,
quaſi ſanguis Chriſti jam ſit in terrâ, ſed metonymicè & ſynecdochicè pro S. cœ-
nâ, quæ corporis & ſanguinis Chriſti ſacramentum eſt. In Scholiis *h. l.* ita. *ſive a-*
qua illa & ſanguinis ille, qui effluxit è latere Chriſti mortui in Cruce: ſive aqua
baptiſmi & poculum Domini, quod ſanguis ipſius ſymbolum eſt. In ſcholiis
Germanicis p. 391. ita habet: Der Geiſt/ das iſt/ die Predigt deß Evangeliums/
wie v. 6. am end. das Waſſer/ das iſt/ der H. Tauff/ durch welchen Chriſtus zeu-

get/daß ſein Blut vns reinige vnd abwäſche von allen vnſern Sünden. Das Blut/das iſt/das Sacrament deß Leibs vnd Bluts Chriſti/nemlich/das H. Abendmal/ durch welches Chriſtus zeuget/daß ſein Blut vergoſſen ſey/ für vns zur vergebung der Sünden. Stimmen vberein/ Gr. ſeind in eins/oder zu einem/das iſt/ſie ſeind zu eben einem Zweck gerichtet. *Am. Polani.* Amandus Polanus in N.T. Germ. not. h. l. p. 794. Dritter grund iſt die Kundtſchafft dreyer Zeugen auff Erden/das iſt/ in der newen Kirchen vnd Reich Chriſti/ nämlich deß Geiſtes/ Waſſers vnd Bluts/das iſt/deß H. Evangelii/ welches der Geiſt allhie genennet würdt/wie 2. Cor. 3, 6. vnd durch welches der H. Geiſt vber vns außgegoſſen würdt/ Gal. 3, 2. vns erleuchtet / vnd zur erkantnuß Chriſti bringt. Deß H. Tauffs / der vns die reinigung durch Chriſtum/ vnd Widergeburt durch den H. Geiſt verſichert; vnd deß H. Nachtmals / dardurch vns die Verſöhnung/ durchs Blut Chriſti geſchehen / vnd die Gerechtmachung vor Gott bezeuget würdt. *Toſſani.* Dan. Toſſanus Comm. Latin. h. l. in eandem concedit ſententiam.

Cap. IV. Vera ſententia poſita & rationibus confirmata.

§. 14. Nobis in illâ interpretationum varietate, illa, velut modo loquendi Spiritus S. & circumſtantiis textus magis conſentanea perplacet, quæ per *Spiritum* h. l. intelligit Evangelium, verbum ſalutis & reconciliationis verbum gratiæ & ſapientiæ cœleſtis, velut peculiare ἔργον & ὄργανον Spiritus S. per *aquam*, ſacramentum baptiſmi, lavacrum regenerationis & reſtaurationis, ſtipulationem bonæ mentis cum Deo operans: per *ſanguinem*, ſacramentum Euchariſtiæ, tremendum myſterium, epulum immortalitatis. *I. Ratio.* Quia I. *ſingula nomina eam explicationem admittunt.* *Nomen Spiritus ſæpè tum notat, tum connotat Evangelium. Ioh. 6, 63.* Primùm enim Spiritus verbum *Evangelii è ſinu Patris Cœleſtis* prolatum atq; propoſitum per filium denotat. Ita Chriſtus pronunciat *Ioh. 6, 63.* τὰ ῥήματα, ἃ ἐγὼ λαλῶ ὑμῖν, πνεῦμά ἐστι καὶ ζωή ἐστιν. Cyrillus Alex. *in Iohan. lib. 4. c. 24. p. 77.* Spiritus, *hoc eſt, Spiritalia, & de Spiritu & vita, id eſt, de vivificâ & naturali vita ſunt.* Chryſoſtomus *in Iohann. hom. 46. T. 3, col. 225.* Spiritus, hoc eſt, *ſpiritualia, nihil carnale, nullam carnalem conſequentiam habentia, ſed omni hac terrena neceſſitate & hujus vitæ legibus libera.* Nonnus Panopol. in Paraphr. h. v. μῦθον δ' ἡμετέρων ῥέος ἔνθεος, ὃς ἀγορεύω· ζωὴ ὁμῶ καὶ πνεῦμα πέλει, καὶ ἐτήτυμος ὀμφή. *ſermonum v. noſtrorum fluxus divinus, quos dico, vita ſimul & Spiritus eſt & vera vox.* Joh. Ferus *Comm. in Ioh. p. 158.* Spiritus ſunt, *quia non caro, non vana, non inefficacia, ſed viva & efficacia. Eſt enim ſermo Dei vivus & efficax.* Spiritus ſunt, *quia non è ratione humana, ſed è Spiritu ſancto ſunt.* Spiritus ſunt, *quia Spiritualia & divina docent; non inanis vox vel ſonus,* ſed Spiritus ſunt, *ideo non exigunt aures corporis tantùm, ſed etiam, imò potiſſimùm aures mentis.* Spiritus ſunt, *quia Spiritum ſecum afferunt, &c.* Addit *Obſerva, verba Chriſti, non unum aut alterum, ſed indifferenter, præſtare Spiritum & vitam, ſi fide arripiantur.* Jacobus Faber Stapulenſis *C. h. l. p 320. Adjecit Dominus, verba, quæ ego locutus ſum, Spiritus & vita ſunt, ut non illa intelligerent carnaliter, & ad literam, quæ occidit, ſed*

Spiri-

Spiritualiter, & ad intelligentiam, quæ vivificat: ipſe eſt enim illorum verborum Spiritus, ipſe illorum intelligentia atq; vita. Cornel. Janſen. *Conc. Evang. c. 19. p. 394.* ſunt *Spiritualia, & Spiritualiter intelligenda, ac ſic auditori conferunt vitam.* Sebaſt. Barradas *Tom. 2. Conc. Ev. l. 10. c. 8. n. 17.* Sunt Spiritus vivificans, *ſimilia ſunt Spiritui & animæ vivificanti carnem. Quemadmodum Spiritus & anima vitam corpori donat, ſic verba mea ſi ſerventur, vitam tribuunt ipſi animæ & corpori æternam per reſurrectionem.* Wolff. Muſculus *Comm. in Joh. p. 341. Notandum hîc eſt, quod verbis ſuis Dominus ore prolatis Spiritum tribuit & vitam. Si externum prolatum ac ſonum ſpectes, & ſic quidem Spiritus erant, ſed vadens ac tranſiens, nec cuiquam vitam afferens: attuliſſet enim alias illam cunctis adſtantibus & audientibus. Reliquum ergo eſt, ut prædicatum hoc; Spiritus ſunt & vita, non ad externum tantùm ſonitum, aures Judæorum & diſcipulorum incredulorum fruſtrà ferientem, ſed ad ſenſum verborũ referatur. Senſus a. verborũ variis modis Spiritus dici poteſt. Aut quòd ille ex Spiritus naſcatur inſtinctu, aut quod Spiritaliter ſit intelligendus, vel quod de Spiritu fiat ſermo, vel quod Spiritum largiatur. Poſtremo modo non eſt hîc locutus Dominus. Non n. propoſitum illius erat ſignificare, quid verba ipſius auditoribus adferrent, neq; ẽt illa ſpiritum & vitam iis certè, qui offendebantur, afferebant. Nec priore modo iſta dixit. Neq; n. hoc agebat, ut indicaret, cujus impulſu loqueretur, ſiquidem nec offenſio diſcipulorum ex eo erat, quod putarint, illum aliundè, quam ex Spiritu Dei loqui. Reſtat igitur, ut ob eam cauſam verba ſua Spiritum & vitã eſſe dixerit, quod & ſpiritualiter eſſent, ac de Spiritus virtute dicta.* Competit a. prædicatum hoc Spiritus ſunt & vita, *non ſolum hiſce Chriſti verbis, quib. præſenti capite de carnis ſuæ myſterio locutus eſt, ſed & reliquis omnibus, ut intelligamus, univerſam ejus doctrinam, non eſſe carnem, ſed Spiritum, non inutilem & ineſſicacem, ſed Spiritum & vitam, id eſt, vivificam* Franc. Vatablus *in not. h. l. Spiritualiter intelligenda ſunt, & ita conferent vitam, vel de Spiritu intelligenda ſunt, quod ſc. is vivificet.* Sic locum *Eſa. 11, 4. & 2. Theſſ. 2, 8.* de verbo divino exponunt Chryſoſtomus, Theophylactus, Oecumenius, uti refert Cornel. à Lapide *Comm. h. l. p. 729.* Ita & facit poſt Bucerum, Calvinum, Eraſmum, Bezam, Piſcatorem, & alios Aug. Marloratus in Expoſ. Eccleſiaſt. h. l. Sic quando *Roman. 8, 6.* τὸ φρόνημα τοῦ πνεύματος dicitur ζωὴ & εἰρήνη, ſub nomine *Spiritus* omninò verbum Evangelii, verbum vitæ & pacis, verbum omnis ſapientiæ principium etiam intelligitur. Et quando *Johan, 4, 13.* de veris adoratoribus dicitur, quòd adoraturi ſint in Spiritu & veritate, non excluditur fundamentum & norma veræ & Evangelicæ adorationis, nimirum, verbum ſalutare Evangelii. Sic quando *1. Joh. 4, 1. 2. 3. 6.* dicitur; *nolite credere omni Spiritui, probate Spiritus,* &c. *omnis Spiritus, qui confitetur, &c. omnis Spiritus, qui ſolvit, &c. in hoc cognoſcimus Spiritum veritatis, &c.* quanquam de docente ſit

ſermo, ipſa tamen doctrina etiam per Spiritum connotatur. Et aliâs in N.T. ubi de Spiritu S. tertia SS. Trinitatis perſona fit mentio, ſæpiſſimè Evangelii doctrina connotatur. *Rom. 5,5. c. 8,16. 1. Cor. 2,13. 2. Cor. 5,5. Gal. 5,18. &c. Porrò*
1.Ioh 5,6. *1. Joh. 5,6.* dicitur; τὸ πνεῦμά ἐστι τὸ μαρτυροῦν, ὅτι τὸ πνεῦμά ἐστιν ἡ ἀλήθεια. Vulgatus reddit: *Spiritus eſt qui teſtificatur, quoniam Chriſtus eſt veritas.* Ubi nomen *Chriſti* ponit loco *Spiritus*. B. Lutherus noſter. Und der Geiſt iſts/ der da zeuget/ daß Geiſt Warheit iſt. Reprehendit hanc translationem in Beza *Com. h. l. p. 406.* F. Socinus. *Malè admodum*, inquit, *judicio meo ultima hujus loci verba à Beza in ſuâ translatione reddita fuerunt, quem tamen quidam alii ſunt ſecuti, & ipſius interpretationem probaſſe omninò videntur, nominatim v. Tremellius in translatione Syriaci contextus, in quo eadem ambiguitas eſt, quæ in Græco. Sic enim habent verba translationis Bezæ;* Et ſpiritus is eſt, qui teſtificatur, Spiritum veritatem eſſe. *Accepit enim Beza conjunctionem græcam* ὅτι, *tanquam expoſitivam, non autem rationis redditivam, quâ in re vehementer mihi falſus eſſe videtur, & parum intentus fuiſſe ad id, de quo in hoc loco agitur. Quid enim, quæſo, ad propoſitum Apoſtoli, quod prorſus eſt, oſtendere ex apertis teſtimoniis, Jeſum eſſe Dei filium ſeu Chriſtum, poteſt pertinere teſtificatio iſta, quod Spiritus ſit veritas. Ut nihil dicam de abſurditate, quæ in eo apparet, quod Spiritus teſtetur, Spiritum eſſe veritatem. Nec poterit quiſquam hoc ita interpretari, non dicam, ut ad ſcriptoris noſtri ſcopum pertineat, ſed ut ſenſus inde eliciatur, qui ſit ipſo ſcriptore dignus. Quapropter nihil ambigendum videtur, quin conjunctiva iſta particula, non expoſitiva, ſed redditiva rationis ſit.* At omnis illa Socini querela cadit, ſi dicatur, Spiritum, qui teſtificatur, eſſe ipſam tertiam SS. Trinitatis perſonam, adeoq; aliud quid ab eo Spiritu, de quo teſtimonium eſt, quod ſit ſpiritus veriſſimus, ſeu veritas ipſa: qui Spiritus eſt ipſa Evangelii vox. Ita enim 1. vehementer firmatur propoſitum Apoſtoli, quod prorſus eſt, apertis teſtimoniis oſtendere, Jeſum eſſe Dei filium ſeu Chriſtum, ſi oſtendatur, Evangelium, quod Spiritus & vita, ſive anima Eccleſiæ Chriſtianæ habetur, etiam æterno & incomprehenſibili Dei Spiritu atteſtante. eſſe cœleſtem veritatem Ut enim teſtimonio aquæ & ſanguinis ſua conſtat veritas, ex ſummâ & infinitâ veritate, ita etiam Spiritus, h. e. Evangelium, accipit de ſuâ veritate atteſtationem ex Spiritus S. demonſtratione. Evangelium enim non eſt independentis, ſed omninò dependentis autoritatis & veritatis. Unde 2. non eſt abſurdum, Spiritum ſc. Sanctum teſtari, quod Spiritus, h. e. verba Jeſu, ſint veritas. Ex hoc Evangelico theſauro, ceu Spiritu geſtit Paulus Romanis communicare χάρισμα πνευματικόν, εἰς τὸ στηριχθῆναι αὐτούς. *Rom. 1,11.* Et Ethnicis communicata ſunt τὰ πνευματικὰ *Rom. 15, 27.* nempè μυστήρια χρόνοις αἰωνίοις σεσιγημένα *c. 16,25.* Propter fiduciam Evangelici Spiritus fidelis dicitur πνευματικὸς *1. Cor 2, 5.* Et cognitio Evangelii eſt σύνεσις πνευματικὴ *Col. 1, 9.* Et prædicatio Evangelii eſt εὐλογία πνευματικῇ. *Eph. 1,3.* Unde frequens

apparet

apparet eſſe, Spiritus nomine Evangelium comprehendere. Aquæ nomine *baptiſmi Sacroſanctum myſterium* in S. literis comprehendi, non minus liquidæ eſt veritatis. Hinc Iohannes Baptiſta dicitur baptiſaſſe in aqua *Matth. 3, 11. Marc. 1, 8. Luc. 3, 16. Joh. 1. 26. Act. 1, 5. c. 11, 16.* in Jordane *Matth. 3, 6.* in Enon propè Salem, ubi erant aquæ multæ. *Joh. 3, 13.* Confer *Actor. 8, 36. c. 10. 47.* Unde *Eph. 5, 26.* Eccleſia domini mundata lavacro aquæ. Adducitur huc locus ex *Hebr. 10, 23.* ubi ὕδατος καθαροῦ fit mentio *ex Ezech. 36, 25. Effundam ſuper vos aquam mundam, & mundabimini ab omnibus immunditiis veſtris* : quæ Prophetæ verba communiter Patres ad baptiſmum accommodant : pro qua ſententiâ etiam copioſè diſputat. Caſp. Sanctius *Com. h. l.* Nam de *baptiſmo* intelligunt locum *Heb.* 10. Chryſoſtomus, Theophylactus, Oecumenius, Theodoretus & Latini antiquiores magno conſenſu. Equidem Calvinus per *aquã mundam* intelligit *Spiritum S.* Bullingerus *fidem*: Ribera, *munditiem novæ obedientiæ*, phraſi ex ceremoniis Leviticis derivatâ : alii tamen ex adverſariis ad baptiſmum referunt, ut F. Vatablus *in not.* Conr. Pelicanus *in Com. h. l.* Beza *in annot. maj.* Cornel. à Lapide *C. h. l.* Eſtius copioſè diſputat pro hoc ſenſu. *Hæc*, inquit, *de baptiſmo communis eſt tam Græcorum, quam Latinorũ expoſitio. Quam puto omninò retinendam, hoc potiſſimum argumento, quia corpus nominat; quod baptiſmi Lavacro neceſſe eſt ablui, ut animæ mundatio ſequatur. Nam ſi non aliud hâc parte ſignificare vellet, quàm priore, ſicut nonnullis placet, non corpus ſed animam nominaret, dicendo; & abluti animam aquâ mundâ, id eſt, gratia Spiritus S. Certè corporis ablutio, licet mundationem animæ typicè ſignificet, nuſquam tamen pro ea legitur poſita in ſcripturis. Nec verò noſtræ ſententiæ obſtat, quod ij, quibus hæc ſcribuntur, jam baptiſati erant, ideoq; ad baptiſmum minimè cohortandi. Non enim his verbis Apoſtolus hortatur, ut baptiſari ſe curent, ſed ut accedant cum eâ munditiâ, quam ex inſtitutione Chriſti præſtat baptiſmus corpori adhibitus. Sed ajunt, Apoſtolum exigere hâc in parte ſanctificationem corporis, de quâ 1. Theſſ. 4. ſic loquitur, hæc eſt voluntas Domini ſanctificatio veſtra, ut abſtineatis &c. quemadmodum priori parte exegerat ſanctificationem mentium, dicens; adſperſi corda, &c. Reſpondeo, non eſſe morem ſcripturæ, ut illam corporis ſanctificationem hujusmodi phraſi deſignet, abluti corpus aquâ mundâ. Quin potiùs hoc vult Apoſtolus, & hunc ordinem inſinuat, prius eſſe, ut animus mundetur ab affectu peccati, quod fit ſine ſacramento, poſterius, ut à maculâ & reatu culpæ liberetur, quod ut fiat, opus eſt ſacramento, vel ejus voto hæc* Eſtius. Sed & variarum aquarum typis aquæ baptiſmus in V. T. adumbratus eſt de quibus adi Cl. Doct. noſtrum Dn. Gerhardum *T. 4. L. C. de baptiſm. §. 11 & ſeqq.* Sanguinis demum nomine non incommodè ſacratiſſimam Euchariſtiam deſignari non minus perſpicuum eſt. Sunt enim in hoc ſacramento ejuſdem pretioſitatis & efficacitatis corpus & ſanguis Chriſti. Imò in S. literis redemptio noſtra frequentiùs ſanguini tribuitur, quàm corpori. Cur id fiat, multæ afferuntur cauſæ : quas

Aquæ nomen uſitatum pro baptiſmo.

Hebr. 10. 23. Aqua munda.

Sanguinis nomen pro S. Cœna.

exponit & expendit Franc. Collius, doctor Ambroſianus Mediolan. *de ſang. Chriſti lib. 5. diſp. 10. c. 2. & 3.* Si itaque *à corpore* Chriſti, totum SS. Euchariſtiæ ſacramentum denominari potuit, ut factum eſſe copiosè docet Iſaac. Cauſabonus. *Exerc. ad Baron. 16. ſect. 34. pag. 523.* cur non etiam *à Sanguine* idem denominabitur? Nec obſtat, quòd ſanguis ſit *altera pars* cœleſtis in S. hâc Cœnâ. Nam etiam *1. Cor. 10, 16.* in enumeratione κοινωνίας ſacramentalis, illa, quæ eſt inter ποτήριον & ſanguinem Chriſti priori recenſetur loco. Non igitur, quia in ordine diſtributionis eſt ſecunda pars ſanctiſſimi epuli, ſanguis Dominicus, ideò ab illo iſta denominari non poterit, cùm & dignitate primâ non ſit inferior, & in ſynecdoche, quâ pars pro toto ſumitur, iſta partium ſeries & poſitio non attenditur. Ex antiquitate notum eſt, S. Cœnam ab illis denominari ſæpius, quæ vel extrinſeca plane ſunt illi, vel ſanè non ita intima, ſicut ſanguis Domini, qui ad ejus ſubſtantiam pertinet. Vocatur Κοινωνία, Convivium Domini & Eccleſiæ, Eulogia, novum Teſtamentum, alimentum Spirituale, κλάσις ἄρτου, panis Angelorũ, panis vitæ, panis ſanctus, panis ſuperſubſtãtialis, panis Dei, panis propoſitionis. εὐχαριστία, Τροφὴ εὐχαριστηθεῖσα, λειτουργία, σύναξις, collecta, myſterium, τελετῶν τελετὴ, ἀπόρρητον καὶ φρικτὸν μυστήριον, τὰ ἔνδοθεν μυστήρια, ἱεροτελεστικωτάτη εὐχαριστία, κρυφία καὶ ἐπίφοβος τελετὴ, pretii noſtri ſacramentum, Myſterium pacis & unitatis, χάρις, ἅγια, & ἁγιάσματα, τὸ ἀγαθὸν, τὸ ἔλεον, μετάληψις, δῶρον, ἐφόδιον. viaticum, vita, ſalus, λατρεία, θυσία, & quæ ſunt alia nomina, quæ eruit ex orthodoxâ antiquitate Iſ. Cauſab. *Ex. add.* Illud appoſitiſſimum eſt hoc loco, quod S. Cœna antiquitus etiam *Sacramentum Calicis* appellatur. Auguſtinus *Tom. 3. l. 4. de doctrina Chriſtiana cap. 21* Imò quod nomine *Calicis* totum ſacramentum comprehenditur. Eligius Novionii in Belgio Epiſcopus, qui ante annos mille vivebat *homil. X. Vocatur hæc dies Cœna domini, vocatur & natalis Calicis, & meritò talibus præfulget vocabulis; quia hâc eademq; die myſticum Paſcha dominus cum diſcipulis celebrans ſacramenta corporis & ſanguinis ſui illis, atque per illos nobis tradidit & ipſe celebrationis initium fecit.* Paſchaſius Abbas Corbejenſ. *de corpore & ſang. Domini. Hoc indicium in natali Calicis mox excipitur, ut doceatur, quid contemtoribus immineat, ſi damnati à conſcientia, pedem de menſa Domini non retraxerint.*

Natalis Calicis.

II. Ratio. Evangelium, baptiſmus, S. Cœna ſunt eminentiſſimi in Eccl. teſtes.

§. 15. II. Quia *Evangelium, Baptiſmus & S. Cœna, eminentiſſimo & efficaciſſimo modo de toto ſalutis Myſterio, & imprimis Ieſu, fonte & principe ſalutis noſtræ, teſtificantur.* Certiſſimum igitur eſt, iſthæc, trinitate teſtium ἐν τῇ γῇ, comprehendi, & teſtibus ἐν τῷ οὐρανῷ adjungi. R. C. Quia neceſſarium eſt, credere, Iohannem Apoſt. hoc loco ſub SS. Trinitate teſtificante eos nominaſſe teſtes, qui hanc teſtandi divinam operationem de toto ſalutis negotio, ejuſq; autore Ieſu Chriſto, eminentiſſimo & efficaciſſimo modo præſtant. Requirit hoc dignitas rei, de qua teſtificandum. Et nulla ratio eſt, cur præteritis eminentiſſimis & efficaciſſimis alios minoris excellentiæ teſtes intelligere voluerit. Ante-

cedens è ſcriptura clariſſimum eſt. Nam I. Evangelium vocatur teſtimonium *Ieſa.8.20.* de quo loco egimus diſp. peculiari. *Ioh.5,39.* de ſacris ſcripturis dicitur, ὅτι μαρτυροῦσαι εἰσιν περὶ χριστοῦ. *Pſ.19.8.* teſtimonium *Domini verax, ſapientiam afferens imperito.* Baſilius, Nazaianzenus, Theodoretus, Euſebius & Euthymius *in catena h.l.* intelligunt *de minis*, quæ imperfectis & velut infantibus juſtitiam præſtant. Didymus Alexandr. intelligit *de omnibus bonis & inprimis de cognitione veritatis*, quam docentur tum humiles, tum imperiti. Nicol. Lyran. h.l. intelligit *libros Prophetarum.* Nihil attinet v. ita coarctare teſtimonium Domini. Eſt *tota ſcriptura Evangelica*, quæ ſapientiam confert, σοφίαν ſc. θεοῦ ἐν μυστηρίῳ, τὴν ἀποκεκρυμμένην, ἣν προώρισεν ὁ θεὸς πρὸ τῶν αἰώνων εἰς δόξαν ἡμῶν *1. Cor. 2,7.* τὴν ἀποκεκαλυμμένην τοῖς νηπίοις, *Matth.11,25.* Et multiplici iteratione *Pſ. 119.* docet; verbum cœlitus revelatum eſſe teſtimonium de Ieſu ſalutari. 1. *Cor. 1,6.* τὸ μαρτύριον τοῦ χριστοῦ ἐβεβαιώθη ἐν ὑμῖν. Μαρτύριον hoc *v.* 5. vocatur λόγος, & γνῶσις, *v.7.* ἀποκάλυψις τοῦ κυρίου, uno verbo, Evangelium. quod etiam *c.2.1.* vocatur μαρτύριον τοῦ θεοῦ; *v.4.* ἀπόδειξις πνεύματος. *v.7.* σοφία θεοῦ ἐν μυστηρίῳ. *v.13.* διδακτὰ πνεύματος ἁγίου. *2. Tim.1,8.* μὴ ἐπαισχυνθῇς τὸ μαρτύριον τοῦ κυρίου, ἀλλὰ συγκακοπάθησον τῷ εὐαγγελίῳ. Et *c.5.* prioris Iohanneæ *v.9.10.11.* per teſtimonium Dei extra controverſiam etiam intelligitur Evangelii verbum. Et in *Apoc.c.1,2.9.* μαρτυρία Ἰησοῦ χριστοῦ cum λόγῳ θεοῦ æquipollet. Conf. *c.6,9. c.12, 11.17. c.19,10.* Inprimis *hoc verſiculo 10.* diſertè *teſtimonium Ieſu* vocatur *Spiritus* Apocal.19. 10.
Prophetiæ: adeò ut *Spiritus Prophetiæ* & *teſtimonium Ieſu* æquipolleant, quod Iohannæo noſtro loco convenientiſſimum eſt. Placet, quod de hoc loco ſcribit Ludov. ab Alcaſar Ieſuita *in veſtigat. arcani ſenſus Apoc. p.799.* quando ait. *Diſcutiamus, quid ſit in præſenti, habere teſtimonium Ieſu, & quis inſuper ſenſus eorum verborum; Teſtimonium Ieſu eſt Spiritus Prophetiæ. Aliquis teſtimonium de doctrina Evangelica explicabit, ac proinde aſſeret, Ieſu teſtimonium cunctis ineſſe fidelibus. Longè aliter exponit Ribera, qui ait, habere teſtimonium eſſe eorum, de quibus alii teſtimonium bonum reddunt. In præſenti tamen aſſerit, teſtimonium Ieſu eſſe ſigna, quibus teſtantur omnes, ſe eſſe ſervos Ieſu Chriſti. Ribera & Vegas exponunt de proprio Prophetiæ dono, & pro hac explicatione adducũt Ambroſium, Bedam, Rupertum & Communem. Unde inferunt, Angelum de illis agere Prophetis, qui peculiare donum propriæ Prophetiæ in primitiva Eccleſia habebant, & ſimul etiã de antiquæ legis Prophetis. Enimverò exiſtimo, teſtimoniũ Ieſu in præſenti nihil eſſe aliud, quã* Evang. prædicationem, *in qua teſtimoniũ redditur de Chriſto. Et Evang. prædicatores phraſi illâ deſignari. Quòd autem mox ſequitur, teſtimoniũ n. Ieſu eſt Sp. Prophetiæ, denotat, Spiritum ac ſtudium Evangelium prædicandi eſſe nobiliſſimum quendam prophetiæ Spiritum. Nam doctrina Evangelica eſt magna illa Prophetia, quæ hominibus arcana Dei conſilia, & bonorum ac malorum exitum detegit. Ac primò quidem nemo poteſt meritò in dubium revocare, quin ſit recepta in S. literis phraſis, quâ Evangelii prædicatores appellantur Prophetæ. 2. Non permittit hîc declarationem aliam contextus*,

cùm

cum dicit, teſtimonium Jeſu eſt Spiritus Prophetiæ. 3. quos hic textus deſignat, qui habent teſtimonium Jeſu, eisdem perſpicuè nomen Prophetarum attribuit, cap. 22. verſ. 9.4. non eſt ad rem in præſenti ſermo de peculiari Prophetiæ dono. Contextus enim potiùs exigit, ut hi angeli dicant Johanni, ne exiſtimet, tantam eſſe peculiaris prophetiæ doni excellentiam; quippe magnam & excellentem prophetiam eſſe doctrinam Evangelicam. proinde qui prædicatoris Evangelici Spiritu inſignitus eſt, illi Spiritum ineſſe Prophetiæ, &c. Itaque *Spiritus*, & *Spiritus Prophetiæ, & teſtimonium Jeſu*, in S. literis ſæpè ſunt ſynonyma. II. Duo ſacramenta N. T. baptiſmum & Cœnam Dominicam eſſe teſtimonia, quibus nobis de miſericordia æterni Patris, de Ieſu Chriſto autore & fonte ſalutis noſtræ, deque Spiritus S. copioſâ in nos effuſione firmiſſimum exhibetur teſtimonium, dudum à nobis evictum eſt, vide *diſſert. de Agno Paſchali*, & *in Gal. 3.27.§. 68.* Latiſſimè autem Gerhardum, Doctorem noſtrum, *T. 4. L. de ſacr. §. 87. & ſeqq.* Hinc B. Patres ſacramenta vocare ſoliti ſunt ſignacula & ſigilla. Tertullianus *de pœnitentia*, baptiſmum vocat *fidei obſignationem*. Baſil. *l. 3. contr. Eunom.* ἐϛὶ τὸ βάπτισμα σφραγὶς τῆς πίϛεως. Auguſtin. *de Catechiz. rudibus cap. 26. ſacramenta ſunt viſibilia rerum divinarum ſignacula. l. 4. de baptiſmo c. 24.* Circumciſio eſt, *ſignaculum juſtitiæ fidei*. Damaſcenus baptiſmum vocat ἀῤῥαβῶνα τῆς μελλούσης ζωῆς καὶ βασιλείας &c. Nos ita concludimus. In quocunq; myſterio eſt infallibilis aſſertio gratioſæ divinæ præſentiæ, propter meritum & ſatisfactionem Domini Jeſu Salvatoris, ad ſalutem & beneficiorum cœleſtium ſive collationem, ſive confirmationem, in hominibus in hac terra viventibus, illud continet in ſe divinum teſtimonium validiſſimum & ſummum. Ecquid enim aliud eſt illa infallibilis divina aſſertio gratioſæ præſentiæ, quàm divinum teſtimonium? Atqui in myſterio baptiſmi & S. Cœnæ eſt ejuſmodi infallibilis aſſertio. In baptiſmo namque eſt infallibilis aſſertio gratioſæ divinæ præſentiæ totius SS. Trinitatis, ſuo nomine in ſanguine filii nos ad fœderationem ſăctiſſimam recipientis, adeoque de efficacia reconciliationis per Chriſtum partæ teſtificantis: *Matth. 28, 16.* Unde cùm *Tit. 3, 5. 6.* de multiplici gratia per lavacrum regenerationis in nos à Spiritu S. propter Jeſum Chriſtũ effuſâ diſſeruiſſet Apoſtol., *v. 8.* additur πιϛὸς ὁ λόγος. Adde *1. Pet. 3. 21.* Damaſcenus *lib. 4. de O. F. cap. 5.* baptiſmum vocat σφραγῖδα & φυλακτήριον & φωτισμόν. Adde Dionyſium *de Hierarch. Eccl. cap. 2.* In ſacramento itidem Cœnæ infallibilis eſt aſſertio de Jeſu Chriſto, corpus ſuum & ſanguinem ſuum ſingulariſſimo ſecretiſſimoque modo ad remiſſionem peccatorum nobis communicante. Lucet hoc ex verbis Inſtitutionis. Quomodo igitur non erunt divinum validiſſimum teſtimonium? At argumenta, quæ contra objecit R. Bellarminus *l. 1. de ſacram. cap. 14.* diſſoluta ſunt apud Doctorem noſtrum, Gerhardum *Loc. add. §. 93. p. 673. & ſeqq.* Thomas Aquinas *in 3. part. q. 61. art. 4.* ſacramenta vocat *ſigna proteſtantia fidem, qua juſtificamur.*

§. 16.

§. 16. III. Quia *Evangelium, baptiſmus & S. Cœna ſunt teſtes, ſeu teſtimonia ſingulariter & propriiſſimè Novo Teſtamento Ieſu Chriſti convenientia.* Quanquam enim Evangelium etiam ſub V. T. notum fuerit: & rectè dicat Thomas loc. add. *Dicendum, ſicut antiqui Patres ſalvati ſunt per fidem Chriſti venturi, ita & nos ſalvamur per fidem Chriſti nati & paſſi, ex Act. 15, 11.* tamen ſingulari & excellentiſſima quadam ratione Evangelium teſtatur & ſeſe exerit in N. Teſtimonio Domini Jeſu, ubi remotis umbris, figuris, typis, omnia ſimpliciſſimo ſanctiſſimoq; jubare coruſcant. Quod ad Baptiſmum attinet, habuit & Judaiſmus ſua Baptiſmata, *Hebr. 6, 2.* ſed abrogata & reprobata. Imò & in gentiliſmo in initiationibus arcanis fuiſſe Baptiſmi quandam imaginem, docet eleganter Iſ. Caſaubonus *Exerc. 16. adverſ. Baron. ſect. 43. pag. 547.* Ille tamen Baptiſinus, quẽ S. Johannes divino primùm introduxit imperio, poſtea Chriſtus, tanquam autor & princeps myſteriorum divinorum, inter gentes etiam transferendum mandavit, ſancti & incontaminati ordinis eſt, Novo T. propriiſſimus, SS. Triados admirandâ præſentiâ coruſcans. De myſterio Dominicæ Cœnæ, quanquam dæmones in Mithræ myſteriis quandam ejus æmulationem tradiderunt, docente *d. l.* Caſaubono, certiſſimum tamen eſt, Chriſtianæ N. T. Eccleſiæ id eſſe propriiſſimum. Itaq; hæc tria ſunt organa ſanctiſſima diviniſſimaq; quibus quam maximè N. T. Eccleſia de divinæ gratiæ operatione ſecura eſt. Atqui talia teſtimonia ἐν τῇ γῇ hoc loco inprimis requiruntur, quæ ſingulariter & propriiſſimè N. T. ſunt convenientia. Nam talia *primo requirunt* tempora, in quibus teſtari debent, quæ ſunt tempora N. T. *Deinde* homines, ad quos teſtari debent, qui ſunt homines ad ſocietatem N. T. perducendi, aut etiam jam in eadem ſancta communione conſiſtentes. *tertiò*, res, de quibus teſtari debent, quæ ſunt, quòd vera illa & ſalutaris orbi vita apparuerit in orbe ἔνσαρκος *1. Ioh. 1.* contra Antichriſtos negantes, Chriſtum in carne veniſſe, *1. Ioh. 2, 18.* quod Chriſtus animam ſuam poſuerit pro nobis *1. Ioh. 3, 16.* Eſtq; Canon, hoc divino teſtimonio confirmandus, hic *1. Ioh. 4.* Omnis Spiritus, qui confitetur, Jeſum Chriſtum in carne veniſſe, ex Deo eſt. Itaq; incarnatio, miſſio, paſſio, ſatisfactio, interceſſio, majeſtas filii Dei, omnia N. T. arcana, hoc teſtimonio ἐν τῇ γῇ apud mortales ſunt inſinuanda & roboranda.

III. Ratio. Evangelium, Baptiſmus, S. Cœna ſunt teſtimonia ſingulariſſima N. T.

§. 17. IV. Quia *Evangelium, Baptiſmus & S. Cœna ſunt teſtes, ſeu teſtimonia perenniter, ad conſummationem uſq; ſeculi, Novi T. confirmationi & corroborationi convenientia. De Evangelio* res eſt certiſſima, & disertè pronunciat Petrus *Act. 4, 12.* Non eſt ἐν ἄλλῳ οὐδενὶ ſalus; nec eſt aliud nomen ſub cœlo datum hominibus, in quo oporteat ſalvari. Nomen hoc includit non ſolùm perſonam, ſed etiam doctrinam Jeſu & de Jeſu, quo nomine ipſe ſingulariter *nobilis* eſt & *nominatiſſimus. De baptiſmo* non minus illud certum eſt, illius ſanctiſſimam diſpenſationem ad finem uſq; mundi durare debere. Vide *diſſert. ad Gal. 3, 27. th. 8. & 62, 63, 64.* Utrunque tàm de perpetuitate prædicationis

IV. Ratio. Evangelium, Baptiſmus, & S. Cœna ſunt teſtimonia perennia ad finem ſeculi.

c Evan-

Evangelicæ, quàm de continuatione S. baptiſmi ad conſummationem uſq; ſeculi, oſtendit Salvator *Matth. 28, 19. & 20.* ubi Chriſtus ait: *Euntes, μαθητεύσατε πάντα τὰ ἔθνη, baptiſantes eos in nomine Patris, & Filii & Spiritus S. &c. καὶ ἰδοὺ ἐγὼ μεθ᾽ ὑμῶν εἰμὶ πάσας τὰς ἡμέρας, ἕως τῆς συντελείας τοῦ αἰῶνος*: Ubi fundamentum & cauſam continuandæ doctrinæ Evangelicæ, & S. baptiſmi diligenter urgendi, ponit in eo, quia ipſe gratioſam ſuam divinam præſentiam apud ipſos continuaturus eſt per omnes dies, uſq; ad conſummationem ſeculi. Καὶ pro γοῦν poni, notat *in clave Flacius, pag. 273.* Concluſio Salvatoris hæc eſt. Ecce fideles! *Vt ſe habet mea gratioſa divina præſentia, ad regni ſpiritualis propagationem, fulcimentum, & conſervationem, ita ſe etiam habere debet veſtra in docendo & baptiſando, myſteriaque ſalutis diſpenſando induſtria.* Ratio ſubeſt; quia gratioſa mea præſentia, in his mediis & hâc τάξει ſeſe exerit. *Atqui;* ecce, *gratioſa mea præſentia, ad regni ſpiritualis propagationem, fulcimentum & conſervationem habet ſe ita, ut perenniter ad conſummationem uſq; ſeculorũ ſit efficax futura.* Hoc vobis ſanctè promitto. *Igitur & veſtra induſtria in diſpenſatione myſteriorum, doctrinæ & baptiſmi, perennis eſſe debet, & ad finem uſque mundi durabilis.* Pariter & mandatum Chriſti de comedendo in S. Cœna corpore Chriſti, bibendoq; cœleſti ſanguine, nullo termino, niſi illo univerſali & ultimo, qui eſt συντέλεια τοῦ αἰῶνος τούτου, circumſcriptum eſt. Atqui Johannis inſtitutum eſt h. l. ejuſmodi teſtium Triada urgere & exhibere ἐν τῇ γῇ, quæ non una die, unove anno, aut uno ſeculo, ſed perpetuò firmaret, Jeſum eſſe Chriſtum, Ducem & autorem Salutis. Namq; & cœleſtes teſtes, μαρτυροῦντες ἐν τῷ οὐρανῷ, ſuam teſtificationem nondum finiverunt, ſed omninò perennant & promovebunt, uſq; ad συντελείαν τοῦ αἰῶνος. Et Eccleſia, quæ ſeculis poſt Johannem lapſuris extitura eſt, non debet eſſe ἀμάρτυρος. Et modus loquendi Apoſtolicus; τρεῖς εἰσιν οἱ μαρτυροῦντες ἐν τῇ γῇ, ita conceptus eſt, ut nihil indicii ad præteritam aliquam teſtificationem, quæ vel tunc ceſſavit, vel mox ceſſatura eſt, præbeat, ſed magis id inſinuet, quandoquidem Deo placuit Eccleſiam in terris plantare, eidem etiam ἐν τῇ γῇ μαρτυροῦντας addere, qui eidem perennem de Jeſu Chriſto facerent fidem. Imò quia hæc teſtimonia opponit Antichriſto, contra quem munit Eccleſiam ſuam Johannes, neceſſe eſt, ea teſtimonia tum etiam vigere, cùm Antichriſtus quàm maxime graſſabitur. Id v. in fine ſeculorum futurum eſſe, ſacra ſcriptura oſtendit.

V. Ratio. Evangelio, Baptiſmo & S. Cœna Chriſtus evidentiſſimo modo ad nos venit.

§. 18. V. Quia *Chriſtus per Evangelium, S. baptiſmum & diviniſſimam Cœnam maximo, nobiliſſimo & evidentiſſimo modo ad nos venit.* B. Johannes ita ait v. 6, οὗτός ἐστιν ὁ ἐλθὼν δι᾽ ὕδατος καὶ αἵματος, Ἰησοῦς ὁ χριστός: non excluſo Evangelio, cujus mox, tanquam ſummæ & ſanctiſſimæ veritatis, facit mentioñe. Illi igitur hoc loco teſtes ſunt, ea teſtimonia, *per quæ Chriſtus ad nos venit.* Variis ſignis & miraculis Chriſtus adventum ſuum cohoneſtavit. Nativitas, Pueritia, Baptiſmus, Miniſterium, Paſſio, Mors, Reſurrectio, &c. omnia plena di-

vinis

vinis documentis & monumentis. Verùm quia B. Johannes adventus Jeſu teſtimoniorum Triada ἐν τῇ γῇ florentem, quaſi ſonantem elegit, ſine dubio *eminentiſſima, maxima, nobiliſſima & evidentiſſima* veſtigia acceſſus Dei ad nos elegit, quæ non ſolum reliqua ſuperarent, ſed ad quæ etiam reliqua contenderent ac referrentur. Atqui *miracula & ſigna* omnia, quantacunq; fuerint, ſubſerviunt Evangelio & ſacramentis, ad hæc illa omnia referuntur. Per *Evangelium* v. & *duo* iſthæc *ſacramenta* maximo, nobiliſſimo & *evidentiſſimo* modo ad Eccleſiam plantandam venit. Eminentiſſimum in acceſſu ſuo ad nos veſtigium poſuit Jeſus è cœlo, ſapientiam ſuam nobis communicans: ſucceſſit alterum, è cœlo nobis fœdus cum SS. Trinitate in baptiſmo concilians. Tertium ſupervenit, è ſubſtantiâ ſuâ nos cibans, potanſq;. De miraculis & ſignis, præter Pontificiorum aliorum, alias producta, nobis ὁμόψηφα teſtimonia, placet annotare, quod Alf. Salmeron *T. 1. Com. proleg. 11. Can. 18. p. 196.* inquit, *Circa Dei miracula illud eſſe obſervandum, Deum tunc illa edere, quando aliquid fide à nobis eſſe percipiendum, præcipere vult. Quæ quidem ratio firma eſt, cur hodie, ut olim, miracula non videamus, quia nullam aliam legem profitemur, quam illam ipſam legem Evangelicam, quam ipſe ab initio tot ſignis & prodigiis illuſtravit.* Idem *T. 9. Comm. tract. 23. p. 168.* ait. *Diu eſt, quod deficientibus miraculis externis in Eccleſiâ Dei, ſola ſpiritualia & quæ ſub ſenſum non cadunt, in ea manſerint.* In eandem ſententiam loquitur Thom. de Vio Card. Cajet. *Tom. 2. Opuſc. tract. 1. c. 1. de Concept. B. Virg. fol. 99. fac. 2.* Sanè ſi B. Johãnes h. l. primò & principaliter reſpexiſſet *ad ſanguinem & aquam è latere Chriſti promanantem,* non dixiſſet, tanquam ſingulare quippiam commendaturus & inculcaturus, οὐκ ἐν τῷ ὕδατι μόνον, ἀλλ᾽ ἐν τῷ ὕδατι καὶ αἵματι. h. e. non *primo loco* commemoraſſet *aquam,* & dixiſſet, Chriſtum non tantùm veniſſe in aqua, ſed & in ſanguine. Nam ſi ad illum fluxum aquæ & ſanguinis è latere Chriſti reſpicias, in eo non eſt tantum miraculum, quòd ſanguis fluxerit. Imò hoc naturalius eſt, quàm ſi aqua fluat. At Johannes ita loquitur, tanquam præternaturalitatem rei in eo collocet, quod non aqua tantum, ſed & aqua & ſanguis effluxerit. Cum præternaturalius ſit, aquam è cadavere fluere latere perfoſſo, quam ſanguinem. Non ergo primò eò reſpicit B. Johannes.

§. 19. VI. Quia *Evangelium, S. Baptiſmus & diviniſſima Cœna triplici diſtinctaq; ratione teſtantur, adeoq; revera tres teſtes dici poſſunt.* Quamvis enim non diſtinguãtur 1. *ratione originis;* quoniam univerſi ab æterno λόγῳ, qui eſt ἐξηγητὰς eorum, quæ ſunt in ſinu Patris cœleſtis, *Ioh. 1, 18.* inſtituti ſunt atq; inſtructi: 2. *ratione objecti,* quia univerſi Jeſum Chriſtum autorem & conſummatorẽ fidei, Heb. 12, 1. concernunt. 3. *ratione fructuum,* quia univerſi ad conferendam, aut confirmandam & obſignandam remiſſionẽ peccatorũ & juſtitiam perpetuam collimant, &c. Diſtincti tamẽ ſunt, *primò* quidẽ, *quia* Evangelium *VI Ratio. Evangelium. Baptiſmus. S. Cœna triplici diſtincto modo teſtantur.*

& literis facilè perituris & ſono evaneſcente propagatur, & tamen manet in æternum. Unde vocatur *μωρία τοῦ κηρύγματος. 1. Cor. 1, 21.* Baptiſmus v. oculis hominum ſiſtit aquam, elementum vulgatiſſimum & communiſſimum. Pulchrè Damaſc. *l. 2. O. F. c. 9.* πρώτῳ τῷ ὕδατι προσέταξεν ὁ Θεὸς ἐξαγαγεῖν ψυχὴν ζῶσαν; ἐπειδὴ ἤμελλε διὰ ὕδατος καὶ τοῦ ἐν ἀρχῇ ἐπιφερομένου τοῖς ὕδασιν ἁγίου πνεύματος ἀνακαινίζειν τὸν ἄνθρωπον, &c. Interpres eſt ferè Rabanus Maurus *lib. 5. ſerm. propr. cap. 11. Voluit Deus, ut res ſeu gratia hujus ſacramenti inviſibilis per convenientiam, per contrectabile & viſibile impenderetur elementum, ſuper quod etiam in principio ferebatur Spiritus.* Demum S. Cœna pane & vino oculis hominum innoteſcit, & abſconditam ſuam vim illis mediis admirandâ ratione patefacit. Congruentiam hujus diſtinctionis variam adferunt Patres & Scholaſtici. Nobis eam indicaſſe ſufficiat. *Deinde* v. diſtincti ſunt: *quia* Evangelium pollicetur præſentiam divinam gratioſam cum beneficiis divinis cœleſtibuſq;, regeneratione, renovatione, adoptione, ſanctificatione, juſtificatione, &c. *generatim & ſine peculiari quodam gradu.* In S. baptiſmo v. eſt peculiaris quidam gradus inſuper gratioſæ præſentiæ, quo SS. Trinitas intuitu meriti Chriſti peculiariter mediante aquâ adeſt ad fœderationem gratioſam: adeò quidem, ut, etiamſi Evangelium prædicetur apud quamcunq; aquam, non v. particulariter & peculiariter ex inſtitutionis baptiſmi arcano agatur, nihil per illam aquam & ex illâ aquâ ſperandum ſit, niſi quod ex quâvis aquâ in regno potentiæ conſideratâ ſperatur. Pariter in S. Cœna, quamvis per Evangelium totus Chriſtus cum omnibus ſuis theſauris nobis reddatur gratioſè præſens, tamen idem ratione corporis ſui per panem ſacramentaliter exhibiti, & ſanguinis per vinum ſimiliter propinati, ſingulari ratione præſens ſit, quo modo aliàs præſens non eſt. Aliàs inter ſacramentalem & ſpiritualem divinam præſentiam nulla maneret diſtinctio. Atqui B. Johannes τρεῖς μαρτυροῦντας proponit ἐν τῇ γῇ omninò triplici diſtinctaq; ratione teſtificantes. Nam & hoc vult ratio teſtandi. Et coacervatio teſtium ſtudioſè à B. Johanne quæſita idem poſtulat. Sed & tres teſtes ἐν τῷ οὐρανῷ realiter diſtincti ſunt.

VII. Ratio. Evangelium, Baptiſmus, S. Cœna ſunt teſtimonia ex parte Dei.

§. 20. VII. Quia *Evangelium, S. baptiſmus & S. Cœna ſunt teſtimonia ex parte Dei teſtantia, divinitus inſtituta, à Deo ſuam originem habentia.* Sunt enim organa cœlitus excitata, per quæ Deus nobiſcum agit, & ſuam in nobis operatur gratiam. Atqui ejuſmodi teſtimonia h. l. commendat Johannes Apoſtolus, quæ ex parte Dei teſtantur quæ à Deo ſuam habent originem. Vocatur enim iſta Trias teſtimoniorum ἐν τῇ γῇ diſerte verſ. 9. μαρτυρία τοῦ Θεοῦ: ἣν μεμαρτύρηκε περὶ τοῦ υἱοῦ αὐτοῦ. Et v. 10. dicitur; qui credit in filium, ἔχει τὴν μαρτυρίαν ἐν ἑαυτῷ. divinitus autem teſtimonium Evangelii, baptiſmi & S. Cœnæ ſentimus in nobis.

VIII. Ratio. Quidã Patrum, Pon-

§. 21. VIII. Quia *per hos tres in terrâ teſtes, Evangelium, baptiſmũ & Eucharistiam & Patres & Pontificii & Calviniani quidam h. l. intelligunt*, ut ex narratis conſtat. Tertullianus diſertè *lavacri aqua & potionis ſanguinis* meminit: Pa-

Digitized by Google

nit: Pariter *cœleſtium ſacramentorum* Cyprianus facit mentionem. Horſum ſpectat & Gregorii Nyſſeni locus. Paulinus etiam pulchrè accedit & Beda & Damaſcenus, & Paſchaſius, & Anſelmus, & Innocentius, &c. Huc etiam quàm proximè accedunt, qui intelligunt per ſanguinem & aquam ea, quæ à latere Ieſu mortui in cruce profluxerunt miracula; quorum è Patribus plures ſunt, è Pontificiis plurimi. Fatentur enim illi, ut infra audiemus, hæc fuiſſe ſigna & figuras ſacramentorum duorum horum, Baptiſmi & Euchariſtiæ. Quoniam ſi ſigna & figuræ teſtimonium de Ieſu ſunt, non minus hæc ipſa ſacramenta teſtimonia de Ieſu eſſe poſſunt. E Calvinianis conſentiunt Hemmingus, Piſcator, Polanus, & quadantenus, ratione ſanguinis & aquæ, Beza. Reliquorum interpretationes ex regulis interpretandi per rationes noſtras ſparſis facilè ſolvuntur & refelluntur. Ea enim teſtimonia h. l. intelliguntur, 1. *quibus* horum teſtium nomen non repugnat, ſed pulchrè conſentit. 2. *quæ* communi conſenſu & ex natura rei ſunt teſtimonia ejus objecti, cujus hæc dicuntur eſſe teſtimonia. 3. *quæ* ſingulariter & propriiſſimè *N. T.* conveniunt; 4. *quæ* perenniter & ad conſummationem uſque ſeculorum durabunt. 5. *per quæ* evidentiſſimè & notabiliſſimè Chriſtus venit. 6. *quæ* diſtincta triplici ratione & modis à ſe invicem diſcrepantibus teſtantur. 7. *quæ* ex parte Dei teſtantur, & originem ſuam habent ſingulari inſtitutione à Deo; 8. *& quibus* Patrum & Interpretum ſaniorum non contradicit conſenſus. Has conditiones horum teſtium, cũ aliis interpretationibus non convenire maximè liquet.

tificiorum & Calv. ſuffragantur.

CAP. V. Numerus teſtium Ternarii dignitas.

§. 22. Natura Sanguinis, aquæ, Spiritus, hoc eſt, *quid ſint*, explicata eſt; ſequitur II. Numerus. Ille eſt *ternarius*. Ternarius numerus Marbodeo *de gemmis*, ſive eſt Aemilius Macer, *lib. 5. numerus ſacer eſt*. Auſonio *in grypho ternarii*, *Tris numerus ſi per omnia*. Polluci *l. 6. c. 2.* ternarius numerus *primus perfectus*. Perfectum eundem etiam Phurnutus dicit, ubi de Muſis. Τρεῖς μὲν, inquit, διὰ τὴν τῆς τριάδος τελειότητα. Ita & Auſõ. *l. d. Idyll. 11.* Tris *coit in partes numerus perfectus*. Ut qui, ajente Plutarcho *Sympoſ. l. 9. q. 3.* habeat *principiũ, medium, & finem*. Ariſt. *l. 1. de cœl. c. 1.* παρὰ ταῦτα οὐκ ἔστιν ἄλλο μέγεθος διὰ τὸ τὰ τρία πάντα εἶναι, καὶ τὸ τρὶς πάντῃ. καθάπερ γὰρ φασὶ οἱ Πυθαγόρειοι, τὸ πᾶν καὶ τὰ πάντα, τρισὶν ὥρισται. Τελευτὴ γὰρ καὶ ἀρχὴ τὸν ἀριθμὸν ἔχει τὸν τοῦ παντός. Martianus Capell. *in nupt. Phil.* Trias verò *princeps imparium numerus perfectusq; cenſendus. Nam prior initium, medium, finemq; ſortitur: & centrum medietatis adinitium finemq; interſtitiorumq; æqualitate componit*. Eadẽ ſententia eſt Porphyrii *in vita Pythag.* & Chalcidii *in Timæum Platonis*. Dionyſ. Halicarnaſſ. *antiq. Rom l. 3.* ait; *idoneum maximè hunc numerum eſſe controverſiis dirimendis, quippe qui principium, mediũ & finem in ſe contineat*. In *ſacris* etiam numerus iſte uſurpatus. *Ter libabant, ter ſacra item faciebant*. Nicomachus *in Eclogis* τῶν θεολογουμένων ἀριθμητικῶν, apud Anonym. *Ter libant, & ter ſacrificant, qui preces ſuas perfici à Deo petunt*. Anatol. *Vota & libationes ter fiunt*. Capella. *Preces tertiò ac libami-*

libamina, repetuntur. Ariſtotel. *l.1.de Cœl.c.1.* Iamblichus *in vita Pythag.l.1.c.28.* Secundum tria etiam legibus oraculisque *ſacra facere* jubebantur, nempe ſtato anni tempore, menſe ac die. Geminus *in introd. in Phænomena. Quode- nim à legibus & oraculis præcipiebatur, ut ſacrificarent ſecundum tria, nempe ſecundum menſes, dies & annos, ſic diſtinctè illud Græci univerſi faciebant, ut cum Sole congruente annos agerent; dies & menſes cum luna. Eſt vero ſecundum ſo- les annos agere, circa eadem anni tempora diis eadem ſacra facere: ac vernum quidem ſacrificium, ſemper vere; æſtivum, æſtate: reliqua, pariter ſtato tempore celebrare. Hoc enim acceptum & gratum Diis eſſe exiſtimabant. Ter quoq; Sortes, quas conſulebant, tollere ſolebant, ut patet ex Tibull. l. 1. eleg. 3* Mortuorum quoq; nomina *ter vocare,* moris fuiſſe Ian-Meurſius *in Spicileg. Theocrit. ad Idyll. 13.* Eadẽ ratione aliquod mali aut morbi deprecantes *ter deſpuiſſe,* docet Plinius *l. 28. H.N. cap. 4.* & Theocrit. *Idyll. 6.* Juvenal. *Sat. 7.* Ubi interpres ejus. *Propter faſcinum verborum ter ſibi in ſinum ſpuunt, & videntur faſcinum arcere.* Petronius *in ſat. p. 100.* ubi pag. 355. Woverius copioſè hunc *expuendi* ritum exponit. Lucinam quoque parturientes *ter invocabant.* Horat. *l. 3. Carm. od. 22.* Quin trifariam *omnia eſſe diſtributa* ajebant, atque hinc dixiſſe Homerum. *τριχθὰ πάντα δέδαςαι.* Quod ex Homero repetunt Cydonius *l. de contemn. morte.* Max. Tyrius *diſſert. 24.* Pſellus *de Op. dæm.* Habet de hoc numero inſignem locum ex Nicomachi Gereſeni *lib. de Arithmetica ad res divinas applicata.* Photius *Cod. 187. p. 238.* Vide vero Petr. Bongum myſticæ num. ſignific. *l. 1. p. 69. edit. Bergom.* & Joh. Meurſium *de Denario c. 5.* Noſtro Apoſtolo placuit ternario numero comprehendere ſuos *μαρτυροῦντας,* quia ipſa res ita poſtulavit, & in Eccleſia in terris collecta non plures ſunt, quàm tres teſtes, qui ſub SS. Trinitatis *τάξει,* tanquam abſolutè ſummo teſtimonio, *ἐν οὐρανῷ,* ordinariè teſtantur. Quemadmodum enim *ἐν οὐρανῷ* non ſunt plures teſtes, *qui hoc modo & hâc eminentiâ* teſtantur, quàm Pater, Verbum, & Spiritus S. ita etiam *ἐν τῇ γῇ* plures non ſunt teſtes, qui *hoc modo* teſtantur, quàm tres, *Spiritus, ſanguis & aqua.* Teſtatur quidem in terra etiam de Jeſu Chriſto *chorus* martyrum, *ordo* Confeſſorum, *Splendor* Doctorum, imò univerſus fidelium cœtus. Sed horum teſtimonium nihil aliud eſt, quàm Evang. teſtimonium, & veritatem ſuam ab his teſtibus Johannæis mutuatur. Teſtatur de Jeſu *fides, charitas, ſpes:* teſtatur *regeneratio, renovatio, juſtificatio, ſanctificatio, adoptio* fideliũ. Sed virtutes illæ fidelium teſtantur non *tanquã inſtrumenta,* ex parte Dei homini gratiã & ſalutẽ dantia aut ſtabilientia sed tanquam chariſmata à Sp. S. fidelibus infuſa. Et teſtantur, utrâq; Triade teſtium à Johanne perductorum velut impregnatæ. Operationes verò, *regeneratio* & ſequẽtes, ſunt effectus Triadis iſtius teſtimonialis, & actus realiter teſtantes. Sacramenta reliqua, præter duo, Pontificiorũ, in hunc cenſũ nõ pertinent. Nã *Matrimoniũ* non teſtatur ſuapte nat. de Chriſto, ſed typus eſt, liberè electus, intimæ cõnexionis Chriſti Sponſi cũ anima ſãcta.

Ordo

Ordo non eſt ipſum teſtimonium de JEſu, ſed conſecratio & cooptatio ſolùm quædam ad hanc Triadem teſtium rectè diſpenſandum. *Extrema Unctio* & *Confirmatio* nihil hîc agunt, uti infra docebitur. Pœnitentia verò non eſt tam teſtimonium de Ieſu, quam id, quod teſtimonio de Ieſu triplici quam maximè nititur. utpotè quæ fiduciam in ſe continet, fidum teſtimonii divini receptaculum.

§. 22. Numerus declaratus eſt; ſequitur III. Operatio. Dicuntur *μαρτυροῦντες*. Ubi non *propriè & tanquam perſonis τὸ μαρτυρεῖν* tribuitur tribus in terra teſtibus, ſicut illi teſtes, qui ſunt in cœlo, ſunt *μαρτυροῦντες*, *ut perſonæ*; ſed *impropriè & velut mediis atque inſtrumentis*, per quæ illi tres in cœlo teſtes operantur. Hæc *μαρτυρία* horum teſtium non eſt *inefficax*, & merè *σημαντικὴ*, ſed *efficax* omninò & *ἐνεργητικὴ*, divinâ quadam & validâ ratione veritatem de Ieſu Chriſto, filio Dei, Salvatore generis humani, mentibus hominum imprimens, eas illuminans, regenerans, renovans & convertens. Nam I. ſicut *in cœlo* tres *teſtes*, Pater, verbum, & Spiritus Sanctus non *nudâ ſignificatione*, ſed *realiſſimo, efficaciſſimo, ineffabilique modo* teſtantur, Ieſum eſſe Dei filium; ſic in terra, in regno gratiæ, etiam tres hi teſtes, *Spiritus, aqua & ſanguis*, realiter & efficaciter per divinam potentiam teſtificantur. Sunt enim hi teſtes illis ſubordinati, tanquam inſtrumenta cauſæ principali, tanquam media autori ſalutis, ſunt intimè conjuncti & in ſua operatione à tribus in cœlo teſtibus neutiquam ſeparandi, II. Teſtificatio horum trium teſtium non eſt *humana & moralis*, ſed *divina & hyperphyſica*. E. non tantùm indicat & ſignificat veritatem, per modum teſtium humanorum, ſed ſimul intimè veritatem mentibus hominum implantat, voluntatem ſecretiſſimè movet, gloriam Ieſu Chriſti filii Dei fortiſſimè aſſerit. Eſt ergò intima & penetrantiſſima quædam teſtificatio. III. Teſtificatio, quæ *in terra* fit *ſalvandis* fidelibus, ſine dubio non eſt minoris efficaciæ, pro aſſerenda piis mentibus fide Salvatoris, quàm ea teſtificatio, quæ *Satanæ* facta eſt, quâ illi teſtatum redditum eſt. Jeſum Nazarenum eſſe Salvatorem orbis. Imò eſt validior & efficacior. At teſtificatio, quâ Chriſtus glorioſo triumpho Satanæ ſe victorem teſtificatus eſt, tantæ fuit potentiæ, tàm felicis efficaciæ, ut omne ejus regnum deſtruxerit, ipſum contremiſcere & concuti fecerit. *Heb. 2, 14. 1. Cor. 15. 54. 55. 56. Eph. 4, 8.* Nam omninò majori ratione efficacis gratiæ ſeſe erga amicos ſuos fidelis teſtis Jeſus Chriſtus exerit, quàm ſeſe ratione efficacis potentiæ contra ſuos exhibeat hoſtes. IV. Teſtificatio horum teſtium trium eſt cauſa victoriæ mundi per fidem. *verſ.* 5. dicitur, *τίς ἐςιν ὁ νικῶν τὸν κόσμον, εἰ μὴ ὁ πιςεύων, ὅτι Ἰησοῦς ἐςὶν ὁ υἱὸς τοῦ Θεοῦ*. Verſibus ſeqq. originem hujus victorioſæ fidei explicat B. Johannes; quòd ſc. exciteturgeminâ triplicitate teſtium *ἐν οὐρανῷ* & *ἐν τῇ γῇ*, Patris, Verbi & Spiritus S. itemq; Spiritus, Aquæ & ſanguinis. Quandoquidem *ἡ μαρτυρία*

CAP VI. *Operatio Teſtium trium.*

τυρία τοῦ θεοῦ major ſit, non tantum ratione authoritatis & authentias, ſed etiam ratione energias & efficacitatis, quam μαρτυρία τῶν ἀνθρώπων, quod inquit *v.9.* Confer locũ *1.Cor.1,6.7.8.* V. Ipſi diſpenſatores hujus triplicis in terra teſtimonii, ſunt per hoc efficaces ad regenerationẽ, illuminationem, converſionẽ, confirmationem & obſignationem fidei. E. multò magis ipſum hoc triplex teſtimonium efficaciam divinam & percellentem ad movendas mutandasque hominum mentes habebit. Antecedens manifeſtum eſt, ex *Act. 26, 18. Rom.11,14. 1.Cor.3,5.9. c.4,1.15. 2.Cor.4,8. Gal.4,19. Eph.3,8.* Vide D. Gerhard. *Tom.6.L.C.p.418.*

CAP.VII. *Vbietas teſtium trium.*

§. 23. Operatio fuit: ſequitur IV. Ubietas. B. Johannes dicit ἐν τῇ γῇ. His verbis non ſolum *ubi exiſtentiæ,* nec tantùm *ubi teſtificationis,* ſed & *modus exiſtentiæ* horum trium teſtium declaratur. Ratione Ubi ὑπάρξεως ſunt hi *tres teſtes* & exiſtunt l. ἐν τῇ γῇ. Idque propter Sacroſanctam inſtitutionem & gratioſam ordinationem totius SS. Trinitatis in Ieſu ſummo Rege & Propheta noſtro, qui ſimul & dator eſt Prophetarum & Doctorum. *Eph.4. 11.* Πρὸς τὸν καταρτισμὸν τῶν ἁγίων, εἰς ἔργον διακονίας, εἰς οἰκοδομὴν τοῦ σώματος τοῦ χριστοῦ *v. 12.* μέχρι καταντήσωμεν οἱ πάντες εἰς τὴν ἑνότητα τῆς πίστεως καὶ τῆς ἐπιγνώσεως τοῦ θεοῦ τοῦ υἱοῦ. *verſ.13.* Adde *2. Cor. 5.19.20.* Sunt quidem etiam tres teſtes ἐν τῷ οὐρανῷ ſimul ἐν τῇ γῇ: verùm non *propter* diſpoſitionem & diſpenſationem *ſuperioris principii,* ſed *ex ſumma perfectione* & majeſtate, *tùm* præſentiâ potentiæ, *tùm* præſentiâ gratioſâ, *aut* etiam juſtitiæ vindicatricis. Itaque in cœlo & in terra indiviſâ & interminabili unitate exiſtunt. Hi vero tres teſtes exiſtunt *in terra* tantùm *hâc ſingulari Oeconomiâ,* uti inferius patefiet amplius. Teſtes hi tres II. Ratione Ubi μαρτυρίας, ſunt ἐν τῇ γῇ, in Eccleſia ex orbe terrarum collectâ, & ex *ea inprimis* Spiritus, ſonum ſui teſtimonii potentiſſimi ad fines orbis terrarum penetrare facit, ἐν πάσῃ τῇ κτίσει ὑπὸ τὸν οὐρανὸν *Col. 1. 23. Marc. 16.15.* Unde pertinent tantùm ad Eccleſiam in terris exiſtentem. Imò etiam tres teſtes in cœlo ſimul in terra teſtificantur, & teſtificari à B. Ioh. perhibentur. Ibi nimirum teſtimonium divinum ſonat, ubi victoria mundi & fides victorioſa regnat; ubi à falſitate periculum eſt; ubi ex Deo homines regenerantur; ubi de Ieſu Nazareno, quòd ſit Chriſtus, filius Dei, magnoperè dubitabatur, &c. Nic. Lyranus putat, etiam *in cœlo* SS. Trinitatis teſtimonio locum dari debere. *B. Trinitas,* inquit, *ipſa ſe manifeſtat beatis, per apertam viſionem, quantum ad perſonarum diſtinctionem, & verbi emanationem, & Spiritus Sanctus ab utroque: & hoc eſt, quod dicitur, quoniam tres ſunt, &c. veritatem ſc. manifeſtando. Nam teſtimonium dare eſt veritatem manifeſtare. Atqui* hoc l. B. Iohannes non agit *de viſione beatifica producenda,* ſed *de roboranda fide,* qua mundus vincendus *verſ.13.* ἵνα πιστεύητε εἰς τὸ ὄνομα τοῦ υἱοῦ τοῦ θεοῦ, Alf. Salmeron h.l. conjungit aliam, quâ teſtes in cœlo teſtentur, rationem, cum illa Lyrani; *vel,* inquit, *teſtantur infundendo hominibus, qui adhuc viatores ſunt, fidem,*

qua

quæ Dei donū. Sunt, qui verba Apoſtolica ita collocent, τρεῖς εἰσιν ἐν οὐρανῷ, οἱ μαρτυροῦντες: adeò ut non *teſtari*, ſed *eſſe* in cœlo dicantur. Alii per οὐρανὸν non intelligunt πῦ Beatorum & S. Angelorum, ſed regnum immenſæ majeſtatis, quod non loco, ſed transcœleſti gloria definitur: ex quo eſt βάπτισμα, *Matt. 21,25. Luc. 20,4.* in quod peccatur. *Luc. 15,18.21.* ex quo panis vitæ. *Ioh. 6,32.33. &c.* ex quo Spiritualia bona. *Ioh. 3,27. Iac. 1,17.* Rurſus ſunt, qui phraſin ἐν τῷ οὐρανῷ poſitam ſtatuunt pro ἀπ' οὐρανοῦ, quia Pater de Chriſto teſtificatus eſt, per φωνὴν ἐκ τῶν οὐρανῶν *Matth. 3,17. Marc. 1,11.* ἐξ οὐρανοῦ *Luc. 3,22.* ac Spiritus S. è cœlis ſuper Chriſtum apertis deſcendens teſtificatus eſt. Simpliciſſima expoſitio eſt, Triada teſtium in cœlis dici, quia non tantùm eſt in terrâ, ſed etiam in cœlo, non tantùm in regno gratiæ, ſed etiam in regno potentiæ & gloriæ, quia cœlum cœlorum eam non capit, quia abſolutâ & divinâ majeſtate teſtantur, uno verbo, quia *divini* ſunt illi teſtes. Ratione τρόπου ὑπάρξεως III. ſunt etiam ἐν τῇ γῇ hoc eſt, *in terreno quodam habitu quaſi & modo exiſtendi.* Nam *Evangelium*, quod eſt ſenſus & conſilium divinum de noſtræ ſalutis ratione, velut potentia Dei ad ſalutem omni credenti, *Rom. 1,16.* veluti σοφία θεοῦ ἐν μυστηρίῳ ἀποκεκρυμμένη & προωρισμένη πρὸ αἰώνων εἰς δόξαν ἡμῶν. *1. Cor. 2,7* proditur ordinariè & communicatur non occultâ inſpiratione, ſed κηρύγματι, *1. Cor. 2,4.* adeoque terrenis ſubſidiis, *ore, linguâ, gutture, voce, ſono, aere, per quæ* & quibus ſenſus & vis illa divina ad homines defertur: & τῇ γραφῇ *Ioh. 5,39. c. 20,31.* adeoq; rurſus *terrenis ſubſidiis, membranâ, chartaq;* & aliis inſtrumentis. Sic *Baptiſmus*, in quo teſtatur SS. Trinitas de admirandâ fœderatione & induitione Chriſti, è terrâ aſſumit *aquam*, quâ teſtimonii ſui operationem abſolvit Et S. Cœna complectitur in ſe è terrâ panem & vinum. Atq; *hoc modo* & *habitu* hi tres teſtes ſunt tantùm *in terrâ*. Nam quamvis ſenſus ille divinus de ſalute noſtra, Evangelium ἀρχετύπως, ſit etiam *in cœlo*, tamen ἐκτύπως, ut vel κηρύγματι vel γραφῇ manifeſtatur, tantùm *in terrâ* manifeſtatur, & tantùm *in terrâ* eſt. Et quanquam pars cœleſtis S. baptiſmi ſit etiam in cœlo, tamen quatenus ſub aquâ & cum aquâ divinam ſuam fœderationem, regenerationem & φωτισμὸν abſolvit, *hoc modo* tantum eſt *in terra*. Pariter licet Corpus & Sanguis JeſuChriſti ſit etiam *in cœlo* ὑπεράνω πάντων τῶν οὐρανῶν, tamen ut cum pane & vino communicantur, *hoc modo* tantùm *in terrâ* exhibentur.

§. 24. Fuit ubietas, ſequitur V. Unitas. B. Johannes dicit; καὶ οἱ τρεῖς εἰς τὸ ἕν εἰσιν. In editione Complutenſi, *in margine h. l.* adducitur ſententia Thomæ, qui *expoſ. 2. decre. de ſumm. Trinit. & fide Cathol.* ſcribit: *In veris exemplaribus illa verba poſt tres in terrâ teſtes non legi, ſed dici ab hæreticis Arianis hoc eſſe appoſitum, ad pervertendum intellectum ſanum præmiſſæ autoritatis de unitate eſſentia trium perſonarum ſive teſtium in cœlo.* Idem adfert Innocentius Papa. *C. in quadam Tit. de celebrat Miſſarum.* Sed nos oſtendimus illa eſſe authentica. Sunt autem εἰς τὸ ἕν, *I. ratione originis & inſtitutionis.* Sicut enim Evangelium, ratio-

CAP. IIX. Vnitas teſtium trium.

f

ratione ſolennis promulgationis & confirmationis per mortem, eſt à Jeſu Chriſto; ita & Sacramenta ipſa ex immediatâ Chriſti inſtitutione conſtant, & ab eodem, etſi non ambo *primùm*, tamen ambo *ſolenniter* promulgata ſunt. Cyprianus *ſerm. de ablutione pedum.* Ipſe *ſummus Sacerdos ſui eſt ſacramenti inſtitutor & autor.* Ambroſ. *Tom. 4. l. 4. de ſacr. c. 4.* Autor *ſacramentorum quis eſt, niſi Dominus Ieſus? De cœlo iſta Sacramenta venerunt: conſilium enim omne de cœlo eſt.* Thomas *part 3. quæſt. 64. a. 2.* Virtus *Sacramenti eſt à ſolo Deo. E. ſolus Deus eſt Sacramentorum inſtitutor.* Et poſt. *Apoſtoli & eorum ſucceſſores ſunt vicarii Dei, quantum ad regimen Eccleſiæ Dei inſtitutæ per fidem & fidei ſacramenta. Vnde ſicut eis non licet tradere aliam fidem, ita quoq; neq; inſtituere alia Sacramenta, ſed per ſacramenta, quæ de Chriſti latere in cruce pendentis fluxerunt, dicitur fabricata eſſe Chriſti Eccleſia. Et licet* Baptiſmus *non ita*, ſicut S. Cœna, à Chriſto *primùm* proditus inter homines ſit; ſiquidem Johannes Baptiſta *primùm* baptiſare ex Dei autoritate auſus eſt; tamen *ratione ſolennis promulgationis*, & inter gentes tentandæ *communicationis*, Baptiſmus æquè à
Nova Theolog. Scholaſticorū. Chriſto, ac S. Cœna eſt. Ubi obiter noto *novam Theologiam* Scholaſticorum. Statuunt illi, *Chriſtum ſacramenta novæ legis etiam ſecundum humanitatem inſtituiſſe*; Ita Tannerus *Thom. 4. Theol. Schol. col. 702.* ex Thomâ, Cajetano, cū omnib. Thomiſtis ſtatuit contra Scotum & Vaſquez *ex Matth. 28, 18.* Et rectè quidem. Sed poſtea tribuunt Chriſto, *ut homini, circa ſacramenta peculiarem quandam poteſtatem miniſterii principalis; ſeu poteſtatem excellentiæ*, quā in 4. capp. collocant. 1. *quod ſacramenta omnia vim ſuam habeant ex Chriſti meritis & paſſione.* 2. quod *in fide & per invocationem nominis Chriſti ſacramenta ſanctificantur & perficiuntur.* 3. quòd *ipſe etiam, ut homo, potuit inſtituere ſacramenta.* 4. quòd *ipſe potuit effectum* Sacramentorum, *etiam ſine exteriore Sacramento, conferre.* Ita Tannerus poſt alios *l. d.* At vero hæc poteſtas excellentiæ non eſt poteſtas miniſterii & inferioris ordinis ſub divinâ poteſtate. Quia eſt *poteſtas*, fatente Tannero, *contenta in omni poteſtate in cœlo & in terrâ*, quæ eſt divina poteſtas. Vide diſſert. *in Gal. 3, 27. § 23. 24. 25. 26. & ſeqq.* Tādem aſſeruut; *potuiſſe Chriſtum abſolutè loquendo poteſtatem excellentiæ miniſtris aliquo modo communicare, ut & eorum meritum operaretur ad ſacramentorum effectum, & ad invocationem nominum ipſorum ſanctificarentur & perficerentur ſacramenta, & ipſi poſſent ſacramenta inſtituere, & ſine ritu ſacramentorum eorum effectum ſolo imperio conferre.* Tannet. *d. l.* Sed rectè contra eum diſputat Vaſquez *in 3. diſp. 135. c. 2. n. 26.* Et monſtroſa eſt ſola recitatione ſententia. Sunt II. *εἰς τὸ ὄν, ratione virtutis & efficaciæ*; de quâ ſupra. Sunt III. *εἰς τὸ ὄν, ratione ordinariæ diſpenſationis.* Inveniuntur in unâ eâdemq; *οἰκονομίᾳ μυςηρίων 1. Cor. 4, 1.* ſc. in miniſterio Eccleſiaſtico, cujus neceſſitatem, ad diſpenſanda hæc divina teſtimonia, oſtendit Doctor noſter, Gerhardus *Tom. 6, p. 59.* & ſeqq. Sunt IV. *εἰς τὸ ὄν ratione hominum*, quorum ſaluti deſtinata ſunt teſti-

teſtimonia hæc, adeò, ut licet, *ratione ætatis*, cum aliquo diſcrimine communicentur hominibus, nulli tamen *vel* ſexui, *vel* ſtatui, *vel* ordini præcluſa ſint: quod ſacramentis nonnullis Papalibus proprium eſt. Sunt V. *εἰς τὸ ἕν*, *ratione mutuæ lucis & harmonicæ conſenſionis* ſub Deo ad ſalutem noſtram. Sed hæc clara ſunt. Non verò ſequitur, tres *in terrâ* teſtes ſunt *unum* dictis modis, non verò ratione *ὁμουσίας*. E. nec tres *in cœlo* teſtes *unum ſunt* per *ὁμόνοιαν*. Nam 1. ipſa phraſeos configuratio, apud teſtes *in terrâ* alia eſt, quàm apud teſtes *in cœlo*. Ibi *τρεῖς εἰς τὸ ἕν*, hic *τρεῖς ἕν εἰσι*. 2. Requiritur major unitas ad teſtes *in cœlo*, quàm ad eos *in terra*. *Quia* teſtimonium in cœlo ſummum eſt & primum. Unde firmiſſimam & ſummam unitatem requirit, qualis ea non eſt, quæ ſolo conſenſu conſtat, ſed ea, quæ *ὁμουσίαν* pro fundamento habet. *Quia* alia claſſis eſt teſtium in terrâ, ab eâ, quæ eſt teſtium in cœlo, E. alia etiam unitas ſuperior. *Quia* eſt unitas teſtium in cœlo, h. e. divinorum, altiſſimorum. E. alia ab ea, quæ teſtium in terrâ. *Quia* de Patre & Spiritu S. conſtat per ſe, quod *ὁμούσιοι* unum ſint, & *quia* Filius inter duos illos teſtes inſeritur, de ejus etiam cum utroq; *ὁμουσίᾳ* certi ſumus. Unde & conſtat non hanc, quæ teſtibus in terrâ, etiam teſtibus in cœlo competere, unitatem. *Quia* ea unitas teſtibus in cœlo competit, qua *tantum tres in cœlo* unum ſunt. Solius autem conſenſus unitate in cœlo cum Deo Patre, Verbo & Spiritu S. infinitæ Sanctorũ Angelorum & Beatorum myriades unum ſunt. Eſt igitur hujus & illius teſtium Triadis diſtinguenda Unitas. Et hæc quidem *ἐξηγητικῶς* ad verba Johannæa.

§. 25. Sit jam poriſma I. Autoritas *S. literarum, etiam quoad notitiam noſtram, & nominatim, doctrinæ Evangelii, eſt planè independens ab hominibus in Eccleſiâ ordinariè docentibus, quanti vis ſint, & quantæcunq; autoritatis*. Ratio eſt ex textu noſtro I. quia Spiritus, qui doctrinam & myſterium Evangelii S. literis comprehenſum notat, ut oſtendimus, tanquam teſtimonium divinum *in terrâ immediatè*, & *ſine interpoſitione* alterius cujuſpiam principii, à quo dependeret, *ſub tres teſtes in cœlo* ponitur, cum quibus intimè cohæret. 2. Quia, ſi quoad perſuaſionem & notitiam noſtram Eccleſiæ autoritas teſtimonium authenticum, &, ut ſic loquar, autoritativum de hoc teſtimonio Spiritus præberet, quo ad nos eſſent non *tres*, ſed *quatuor μαρτυροῦντες ἐν τῇ γῇ* ſcilicet *Spiritus, aqua, ſanguis & Eccleſia*. 3. Quia Eccleſia teſtans de verbo Dei quò ad nos, *aut* ſolùm *externa* quædam motiva, ad fidem verbo Dei habendam, uſurpat; & ſic non autoritativè, ſed perſuaſivè agit: & illa ipſa tamen externa motiva ex natura & circumjacentibus teſtimonii Spiritus haurit: *aut interna* verbi Dei *κριτήρια* proponit, & ſic non de ſuo & ex ſe teſtatur, ſed fundamenta teſtimonii rurſum *ex intrinſecâ perfectione* divini hujus teſtimonii depromit: *aut* ſine ullis motivis *ſimplici aſſertione* teſtatur, quâ ratione, *aut* ex revelatione aget, de quâ Eccleſia certa non eſt; aut ſolùm humanum teſtimonium dabit. At teſtimonium Dei majus eſt, quàm teſtimonium hominum. 1. *Ioh. quint. verſ. nono*. Unde intolerabiles ſunt propoſitiones. *Non ſolum non*

CAP. IX. Poriſmata ex textu Sancto.

I. De S. literarum autoritate.

inferiorem, non ſolum parem, imò quodammodo ſuperiorem & notiorem eſſe Eccleſiæ autoritatem, ſcripturarum autoritate. Magis univerſalem eſſe Eccleſiaſticæ traditionis autoritatem, ſcripturarum autoritate. Autoritatem *S. ſcripturæ totam pendere ab Eccleſiâ.* Iſtis, *quæ habemus, exemplaribus ſcripturarum nullam majorem fidem aut utilitatem eſſe poſſe, quàm quibuslibet ſcripturis Apocryphis.* Propter *Eccleſiam ſolam ejusq; autoritatem nunc credi ſcripturæ univerſæ. Omnem, quæ apud nos eſt, ſcripturæ autoritatem ab Eccleſiæ autoritate neceſſariò dependere.* Eccleſiam *eſſe Scripturâ ſuperiorem, ſicut legislator ſuperior eſt ipsâ lege, in quantũ lata & promulgata:* & quæ ſunt ſimiles apud Pighium, Tiletanum, Baronium, Bellarminum, Coſterum, Stapletonum, Bailium, & alios obviæ. Sed vide de hâc materiâ, *poſt Doctores noſtros*, etiam copioſam Withackericum Stapletono diſputationem *T. 2. oper.* & adde teſtimonia ex Gregor. de Valentia *Analyſi fidei l. 1. c. 15.* Serario *c. 4. proleg. q. 5. & ſeqq.* Pulchrè Weſſelus Groningenſis *lib. de poteſt. Eccleſ. Tanta neceſſitas eſt verè ſcienti Evangelium, tanta neceſſitas Evangelio, ut nulla multitudo, nulla celſitudo movere debeat ſcientem diſcredere. Propter Deum enim Evangelio credimus, & propter Evangelium Eccleſiæ, & non Evangelio propter Eccleſiam. Vnde quod Auguſtinus de Evangelio & Eccleſia dicit, originis de credendo verbum eſt, non comparationis & præferentiæ. Hoc verbum Auguſtini* (Evangelio non crederem, niſi me Eccleſiæ autoritas moveret, *inquit idem in Ep. ad Iacob. Hock*) *non amplius probat, quàm continet. Originis, non comparationis verbum eſt, Evangelio non crederem, niſi Eccleſiæ credidiſſem. Quemadmodum prima multitudinis credentium quisq; dixiſſe rectè potuiſſet: Ego Evangelio non crederem, niſi Petro credidiſſem: ſic & ego hodiè, niſi domeſticis primum puerculus, poſtea ſcholaſticis, demùm Eccleſiaſticis credidiſſem, hodiè Evangelio non crederem: Evangelio tamen magis, quàm alicui mortalium multitudini credo, atq; adeò debeo credere, quod ſi ſentirem omnes homines diſcredere, denuò nihilominus Evangelio, quàm illi, adhærerem. Parvulæ naſcentis adhuc fidei originem texit Auguſtinus in verbo ſuo: non autoritatem Eccleſiæ, cùm Evangelii dignitate comparat.* Sed vide diſſert. noſtr. de autor. Eccleſ. Conſid. 4, p. 21. & infra diſp. 2. Theol. Zach. part. 2. p. 93. & ſeqq.

II. *De S. literarũ ſufficientia, ad normam & judiciũ in controverſiis fidei præſtandum.*

§. 26. Sit inſuper Poriſma II. *Sacræ literæ ſunt ſufficiens norma & adæquata, per quam de rebus ad Evangelium pertinentibus SS. Trinitas infallibiliter, perfectè & clarè teſtatur & judicat.* Ratio ex textu noſtro eſt. I. *Quia* S. literæ, aſſerente B. Johanne Apoſtolo, ſunt *unicum dogmaticum teſtimonium* ſub Deo ordinarium. Sunt igitur norma ſufficiens & adæquata myſteriorum Evangelicorũ. Antecedens probatur. Quia S. literæ nominatim quâ parte Evangelium Chriſti continent, ſunt *Spiritus*, B. Johanni in Triade teſtium in terrâ nominatus; utpote quæ omne conſilium, omnemque ſenſum Dei de noſtra ſalute in ſe comprehendunt. Non enim *traditiones* ſunt iſte *Spiritus*. Multò minùs *Pontifex Romanus*. Nam de *traditionibus* quidem Pontificii nihil ha-

ctenus

Digitized by Google

ctenus certi prodiderunt. De *Pontifice* verò res clara eſt: quia, uti oſtenſum eſt, *Spiritus* hîc non notat *perſonam*. Pontifex autem Rom. eſt *perſona*. Reliqua duo teſtimonia, aquæ & ſanguinis, ſunt, ut ſic dicam, *practica*, in uſu & applicatione conſtituta, non vero in doctrina ipſa ejuſque receptione poſita; ſicut Evangelium & Spiritus, qui veritas eſt. R.C. Quia enim Deus ſub ſe unicum hoc teſtimonium dogmaticum eſſe voluit, ex ratione providentiæ & ſapientiæ Dei eluceſcit, hoc eſſe ſufficiens & adæquatum. II. Quia, S. Johannes hoc unum teſtimonium fini à ſe intento, tanquam ad cognitionem potens & ſufficiens, præſtruit. Duo quidem alia, uti dixi, ad praxin indicat: ſed hæc duo normæ rationem non habent. Unum vero illud adhuc relinquitur theoriæ. At vero finis, quem B. Johannes huic uni teſtimonio præſtruit, ampliſſimus eſt, & univerſam ſalutis rationem concernit, ut patet. III. Quia, ſi aliud aliquod teſtimonium alterius ordinis, cum hoc S. literarum teſtimonio conjungendum eſſet, ad componendam plenariam & adæquatam rerum Evangelicarum normã, jam non *tres*, ſed *quatuor* eſſent teſtes. Aut, quod longè abſurdius, *unum* teſtimonii divini membrum certis & infallibilibus S. literarum monumentis contineretur, *alterum* incertis traditionum dubiarum erraret in latebris. Hinc *Eſa.* 8.20. ad legem & ad teſtimonium adigimur. De quo loco vide diſſert. peculiarem. Objiciunt Papiſtæ, *quia S. ſcriptura teſtis eſt, eandem non eſſe vocem Judicis. Teſtis enim & Judicis vocem non eſſe unam eandemq́;*. At vero ubi judicium de veritate inquiritur, quo conſcientia uniuscujusq́; innitatur cum firma perſuaſione, nequaquam ſunt requirenda humanorum judiciorum formulæ, nec metienda eſt judicii divini validitas aut firmitas ex uſitatis & requiſitis inter homines conditionibus, quarum pleraq; quæſita fuerunt ad infirmitatis hum. remedium, quæ nulla eſt in Deo, nec in ejus verbo. Inter homines eſt abſurdiſſimum, ſi quis in ſua cauſa velit eſſe accuſator, Judex & teſtis. Qui tria illa ſimul uſurpant, tyrannidẽ exercent, cujus rei ratio ex hominis defectu procedit. Non habet locum illa exceptio, ubi de Deo agitur, qui perfectiſſimus eſt, vel de lege ejus, quæ integra eſt. *Pſ.19.18.* Idem ille, qui teſtis fidelis eſt, *Apoc.1,5.* eſt omnium Judex, etiam in propria ſua cauſa, hoſtium ſuorum judex, & eorum qui credunt, advocatus & judex. Spiritus Sanctus teſtis eſt, *Romanor. 8, 16.* An propterea de juſtitiæ throno deturbabitur? Sanè quicquid Deus teſtatur, tranſit in rem judicatam, & teſtimonium Dei, eſt judicium Dei. Concedunt adverſarii S. ſcripturam eſſe legem. At *lex* etiam poſt Chryſipp. definiẽte Marciano *π.l.2.tit.2.l.2. eſt omnis div. & humanarum rerum regina, quam oportet præſidem bonis & malis & principem & ducem eſſe.* Pertinet hûc, quod ſcribit Cæſar Baron. Tom.3. A. Chriſti. 325. n. 59. & 60. de concilio Nicæno. *In medio conſeſſus, ut habent acta Synodi Chalcedonenſis act. 1. & aliorum conciliorum, poni ſolitum erat ſacroſanctum Evangelium, in quod vultus omnium converſi eſſent. At quid hoc myſticum ſignificaret, S. Cyrillus Alexandr. declarare videtur,*

Digitized by Google

dum ait in apologia. S. Synodus Epheſina in S. Eccleſia, quæ Mariana vocatur, cõgregata eſt, Chriſtumq; aſſeſſorem capitis loco adjunxit, venerandum n. Evangel. in ſancto throno collocavit, tantum non in aures ſacerdotum clamans, juſtum judicium judicate, &c. liber igitur ille in ſede regia collocatus div. præſe ferebat perſonam, ſecundum illud Pſalmi. Deus ſtetit in ſynagoga Deorum, in medio autem Deos dijudicat. Hæc ille. Nicol. Cuſanus Card. lib. 2. Concord. Cathol. c. 6. *Pulchra fuit forma veterum Conciliorum, in quorum medio ponebantur ſacra Evangelia, & ſecundum teſtimonia ſcripturarum decrevit olim ſynodus.*

III. S. litera lingua etiam vernacula legenda & offerenda ſunt omnibus fidelibus.

§. 27. Sit hinc III. Poriſma. *Evangelii ſpiritualis & myſticus ſermo, in S. literis contentus, omnibus fidelibus, in linguam cuiq; vernaculam translatus, offerendus eſt.* Alf. à Caſtro Zamorenſis *lib. 1. adv. hæreſes. c. 13. f. 25.* cauſas hæreſeon enumerat, & ait: *Tertia hæreſum parens & origo eſt ſacrarum literarum in linguam vulgarem translatio, unde evenit, ut ab omnibus ſine ullo perſonarum diſcrimine legantur.* Poſt inquit. *Quapropter laudandum merito venit edictum Illuſtriſ. Catholicorumq; Hiſpaniæ Regum, Ferdinandi videl., ejusque Conjugis Eliſabethæ, quo ſub graviſſimis pœnis prohibuerunt, ne quis ſ. literas in linguam vulgarem transferret, aut ab alio translatas quoquo modo retineret.* Et f. 26. b. *Fatemur olim ſacros libros in linguam vulgarem fuiſſe translatos, B. Hieron. in linguã Dalmaticam eos vertiſſe, nec tamen ideò ſimile fieri expedit, quoniam experientiâ docente didicimus, hâc de causâ plures Idiotas fuiſſe lapſos in plures execrandos errores.* Et demũ fol. 25. *Cùm ergò plus nocumenti inferatur ex libris ſacris in linguam vulgarem verſis, quam ex lectione gentilium Philoſophorũ, meritò illud inhibetur, etiamſi de alio nulla prohibitio fiat.* Sixt. Senenſ. *lib. 6. Bibl. annot. 152.* fatetur, *quondam Biblia in vernaculam translata, magnâ fidei Chriſtianæ propagatione.* ſubdit: *nunc idipſum fieri omnino non expedire.* Mart. Martini Cantapetr. *lib. 8. Hypotypoſ. Th. p. 614.* ait. *Script. non eſſe paſſim Idiotis hominibus & è mediâ plebe committendas, ac ideò nec in linguã vulgarem eſſe transfundendas.* Salmerõ *proleg. 9. Tom. 1. Com. in N. T. quinquag. 1. Canone 8.* Scriptura *in maternã linguã converſa magis pernicioſa populo Dei, quàm ſalutaris extitit.* Ludov. de Tena *Iſag. S. ſcript. diffic. 9. S. 2.* idem ſentit. Paul. Fuſchus Ep. Sarnenſis *l. 1. de viſit. & Regim. Eccl. c. 17. n. 28.* In eo *advertant ipſi Magiſtri, ne ſ. ſcripturæ in linguam vulgarem transferantur: id nempè non expedit populo, ut dicit Petr. Soto lect. 15. de cerem. Miſſæ.* Et poſt: *quod autem ſit malum & pernicioſum vertere in vulgarem, experientia viſum eſt, &c.* Mitius quidem eâ de re loquuntur Bellarmin. *l. 2. de V. D. c. 15.* & ejus hyperaſpiſtes Gretſerus, *h. l.* qui provocat ad conſuetudinem Germaniæ, Galliæ, Belgii, Poloniæ, &c. ubi fas eſt legere vernacula lingua ſcripturam. Atqui 1. hoc fit ideò tantum, quia aliæ Bibliorum verſiones plurimæ extant. Ideò ergo ſuas opponunt & permittunt, ne alias arripiant, qui deſiderium noſcendarum ſcripturarum S. habent. 2. Non omnibus tamen permittendam lectionem in vernaculam translatæ ſcripturæ do-

cet

cet Bellarminus *ex Indice lib. Probib. à Pio IV. reg. 4.* ubi dicit Papa, *Epiſcopum aut inquiſitorem judicio Parochi vel confeſſoris Bibliorum à Catholicis autoribus verſorum lectionem in vulgari verſione concedere poſſe.* Atqui in Indice *lib. prohib. ſub Sixto V. & Clem. VIII.* Coloniæ cum Actis Concilii Trid. edito. *p. 22.* in obſervatione *circa IV. regulâ* planè aliter id explicatur. Sic enim ait. *Animadvertendum eſt circa ſupraſcriptam quartam regulam indicis felicis recordationis Pii Papæ IV. nullam per hanc impreſſionem & editionem de novo tribui facultatem Epiſcopis vel inquiſitoribus, aut regularium ſuperioribus concedendi licentiam, emendi aut retinendi Biblia vulgari linguâ edita: cùm hactenus mandato & uſu S. Romanæ Eccleſiæ & univerſalis inquiſitionis ſublata eis fuerit facultas concedendi ejusmodi licentias legendi aut retinendi Biblia vulgaria, aut alias S. Scripturæ tàm vet. quàm N. Teſtamenti partes, quavis vulgari linguâ editas, ac inſuper ſummaria & compendia etiam hiſtorica eorundem librorum quocunque vulgari idiomate conſcripta, quod quidem inviolatè ſervandum eſt.* In Indice prohibit. & expurg. Hiſpan. Bernardi Sandovalii Archiepiſc. Tol. *reg. 4.* ita habet. *Cùm experimento manifeſtum ſit, ſi S. Biblia vulgari linguâ permittantur, plus inde ob hominum temeritatem detrimenti, quàm utilitatis oriri, prohibentur Biblia, cum omnibus eorum partibus ſive excuſa ſive manuſcripta in qualicunque vulgari linguâ extent, &c.* Contra hanc tyrannidem locus noſter pugnat & oſtendit S. literas nulli linguæ denegandas I. Quia ſunt *teſtimonium Dei de Ieſu Chriſto*, filio Dei, hominibus redditum. Teſtimonium a. ab eo, cujus bono & notitiæ conſecratum eſt, cognoſci debet: & tantò quidẽ diligentius, quantò teſtimonium hoc præcellentius eſt atq; ſublimius II. Quia B. Johannes requirit, ut hoc teſtimonium Dei acceptamus, cognoſcamus, credamus. Nam *verſ. 9.* ait; *Si teſtimonium hominum* λαμβάνομεν, h. e. poſt cognitionem & diſpectionem de eo, illud non reprobamus, ſed acceptamus, *teſtimonium Dei*, de quo Spiritus S. teſtatur, quod ſit ſalvifica & cœleſtis veritas, *majus eſt.* Undè tacitè concludit. Ergo teſtimonium Dei, poſt cognitionem & diſpectionem de eo, multò minus reprobamus: Imò multò magis acceptamus. *v. 13.* monet B. Johannes. Ταῦτα ἔγραψα, ἵνα εἰδῆτε, ὅτι ζωὴν αἰώνιον ἔχετε ſcilicet in hoc divino teſtimonio, *v. 11.* καὶ ἵνα πιστεύητε εἰς τὸ ὄνομα τοῦ υἱοῦ τοῦ Θεοῦ. Et hûc pertinet illa διάνοια *v. 20.* III. Quia hoc teſtimonium ſimplicibus, imperitiſque dat ſapientiam, *Pſal. 19.* Serarius Jeſuita ideo *cap. 20. proleg. Bibl. q. 3.* quoſdam arcet à lectione bibliorum, quia ſunt *imperiti & indocti.* At retorquenda eſt hæc ratio. Imò, quia ſunt imperiti legant teſtimonia divina, quæ ſapientiam dant imperitis. Jeſuita Acoſta *lib. 2. de Chriſto revel. c. 5. Videre eſt non paucos, ab omni liberali diſciplinâ alienos, adeò in S. literarum cognitione profeciſſe, ut nullo modo ſint cum iis etiam literatiſſimi comparandi.* Et rurſus. *Vidi viros prorſus illiteratos, & vix Latinè ſcientes, ex Pſalmis, ex Evangelio, ex aliis ſcripturis tanta depromere, ſenſusq; eos afferre, ut penitùs miratus ſim, &c.* IV. Quia hæc teſtimonii divini volu-

mina

S. literæ omnino in varias linguas translata. Conf. Ant. Poſſevin. in Appar. verbo. Ioh. Chryſoſt. p.846. §. Extat. itē Nicol. Serar. proleg. cap.15 q.1. Georg. Michael Amiram Edenienſem de Chaldaicæ linguæ utilitate prælud. 4.

mina antiquitùs in vernaculas linguas transfuſa fuerunt. Chryſoſtomum *Pſalmos Davidis* & *Evangelia* librosque cæteros N. T. in *Armenicam* linguam tranſtuliſſe; Hieronymum Biblia integra in *Dalmaticam*, Ulphilam Gothicum Epiſc. in *Gothicam*, extitiſſe etiam *Syriacam*, *Arabicam*, *Britannicam*, *Italicam*, *Gallicam*, *&c.* patet. De *Armenica* teſtis eſt Sixtus Senenſ. *lib. 6. ann. 152.* Galeſinius Protonot. Apoſt. *diſc. de LXXII. Interpp. p. 8.* Andr. Schottus *in Catal. interp. ſcripturæ.* De *Dalmatica* ſeu *Illyrica* teſtantur iidem & Alf. Caſtr. *ſupra.* *Gothicæ* meminit Socrates *l. 4. cap. 33. Sozom. lib. 6, c. 37.* Surius *Tom. 4. in vita Brigit.* Walafrid. Strabo *de exord. & increm. rer. Eccleſ. c. 7.* Fuiſſe ſcripturas juſſu Regis Athelſtani ante 900. annos in linguam *Anglicam* verſas, docet Treviſanus *l. 5. cap. 24.* qui & ſcribit, *Bedam Evangelium Johannis in Anglicam tranſtuliſſe.* & *lib. 6. cap. 1.* Pſalmos juſſu *Alvredi* translatos. *Gallicam* translationem curavit Carolus V. dictus ſapiens, Francorum Rex, uſus eâ in re operâ Nicolai Oreſmi Lexovienſis Epiſc. *juſſit*, inquit Tillius in Chron. Reg. Franc. Anno 1380. *ſacros bibliorum libros diligenter ac verè transferri.* *Italica Biblia* edita ſunt Venetiis A. 1477. apud Gabrielem de Peiro Treviſanum. B. Rhenanus *l. 2. Rer. Germ.* meminit etiam *Francicæ veteris* verſionis. *Germanica* non una nota eſt, & paſſim etiam ante Lutherum edita habetur. Vide etiam Pet. Halloix. Ieſuit *in vit. & docum. Juſtini Martyris p. 308.*

IV. Aqua baptiſmus eſt perpetuum & ordinarium N. T. ſacramentum.

§. 28. Sed accedit jam porrò poriſma IV. *Aqua Baptiſmus eſt perpetuum & ordinarium N. T. ſacramentum, ad generationem ex Deo & fidem mundi victricem comparandam, conſecratum à Deo.* Negativa eſt Photinianorum aliorumq; hæreticorum, baptiſmum aquæ pro libero & temporario ritu primitivæ Eccleſiæ uſurpato habentium. Ratio poriſmatis è noſtro textu hæc eſt: *quia eſt perpetuum & ordinarium Dei Ter maximi teſtimonium, quo ſignaculum ſuum cœleſte nobis inprimendo ille teſtatur, Jeſum Chriſtum eſſe noſtrum*; uti in rationibus oſtenſum eſt. Adde I. ut ſe habet in regno gratiæ *ordo teſtium cœleſtium & divinorum*, ita in eodem ſeſe, quamvis *ſubordinatè*, habet *ordo teſtium ἐν τῇ γῇ*. *Ordo verò teſtium cœleſtium & divinorum* in regno gratiæ ita comparatus eſt, ut perpetuò & ordinariè uſq; ad finem mundi ſit gratioſam ſuam præſentiam commodaturus. E. & *ordo teſtium terrenorum* ad gratioſam præſentiam teſtandam perpetuò adhibebitur. E. & baptiſmus aquæ. *Major Propoſitio* ex eâ conſideratione lumen accipit, quod, quamvis *ratione rei* ipſius magna ſit *inter duos ordines teſtium* diſcrepantia, non tamen appareat ratio, cur *ratione durationis* teſtimonii gratioſi ille ordo ad mundi uſq; conſumationē, ratione teſtiū cœleſtiū *perpetuus*, ratione a. teſtiū *ἐν τῇ γῇ temporarius* eſſe debeat. II. Ut ſe habet *teſtimonium Sp.*, quod eſt *veritas doctrinæ cœleſtis*, in ordine trium *ἐν τῇ γῇ* teſtium, ita ſe etiam *reſpectu durationis* & *perpetuationis* habet *aqua baptiſmus.* Atqui illud eſt perpetuum & ad *συντέλειαν τῶν αἰώνων* duraturum. E. & aquæ baptiſmus: Major propoſitio patet: quia tres illi *ἐν τῇ γῇ* teſtes velut teſtimoni-

um di-

um divinum ad conſummandum in nobis opus ſalutis ſunt coagmentati, adeò ut *unius duratio tanta* ſit, *quanta* alterius.

V. Sanguis & corpus Domini realiter ſunt in terra, ubi S. Cœna celebratur.

§. 29. Sit præterea V. poriſma. *Sanguis Jeſu Chriſti & antecedenter corpus etiam ejusdem verè & realiſſimè in terra præſentia ſunt, ubi S. Euchariſtia celebratur.* Calvinianis eſt oppoſitum hoc poriſma, & ita è textu noſtro roboratur. I. Quicquid eſt in ordine μαρτυρούντων ἐν τῇ γῇ, illud etiam eſt ἐν τῇ γῇ. Atqui corpus & ſanguis Domini in Euchariſtia ſunt in ordine μαρτυρούντων ἐν τῇ γῇ, uti patet. Sunt igitur ἐν τῇ γῇ. II. *Spiritus*, qui primo loco collocatur, in hac Triade teſtium ἐν τῇ γῇ; verè eſt ἐν τῇ γῇ: *Aqua baptiſmalis*, alter teſtis ἐν τῇ γῇ, ſubſtantialiter eſt ἐν τῇ γῇ. Itaq; & *ſanguis* Jeſu Chriſti (ſicut & ejus corpus) verè & ſubſtantialiter erit ἐν τῇ γῇ. III. Teſtes illi ſunt ἐν τῇ γῇ εἰς τὸ ἕν *ad unum*. E. ſunt etiam unà in Eccleſia. E. conjunctim ſunt præſentes in Eccleſiâ, quæ in terrâ colligitur. E. ſanguis etiam Jeſu Chriſti (ſicut & ejus corpus) præſens eſt in Eccleſiâ in terrâ. IV. Sanguis V. T. teſtimonii cujuſdam divini loco in ſacris perficiendis adhibitus, erat verè realiterq; præſens templo, aræq;, ubi fundebatur. Multò magis E. ſanguis N. T. teſtimonii efficaciſſimi & maximi officio in Eccleſia in his terris fungens, verè realiterq; præſens erit menſæ Dominicæ. V. Per ſanguinem ſuum filius Dei etiam hodie *ad nos venit*, verè & ſubſtantialiter in regno gratiæ, ratione gratioſæ præſentiæ, nobis appropinquando & adeſſendo. E. ſanguis etiam filii Dei ad nos in terra exiſtẽtes venit, ſubſtantialiter gratioſè nobis adeſſendo. Revereamur corpus & ſanguinem, tremenda myſteria! ſubmittamus nos cibo ac potui, qui è luce depromitur inacceſſibili, quem dextera Dei nobis porrigit, quem tota divinitatis plenitudo ſanctificavit, in quo omnium rerum Dominus, velut in proprii templi adyto, habitat. Magnifaciamus hoc teſtimonium, nec enervemus illud rationis noſtræ anxia ſollicitudine. Dicamus animæ noſtræ: Euge age, corpus & ſanguis redemptoris tui Jeſu Chriſti in terra adhuc teſtificatur præſens, quod ſe propter peccata tua ſtitit olim terris. Dextera Dei non ſubduxit tibi eum teſtem, qui te benigniſſima aſſertione ad cœlum ducat. Contra hoc argumentum Anton. Sadael Chandeus, præ omnibus aliis Calvinianis operosè, inſurgit *lib. de Sacram. mand. corp. Chr. Oper. p. 305.* Nam primò *quatuor errores* objicit noſtræ argumentationi; deinde illam in nos retorquet. *Primum errorem* dicit eſſe, *quod ex loci alicujus difficilioris expoſitione dogma fidei adſtruimus, cùm iſta expoſitio nec fidei ſit analoga, nec aliis evidentioribus ſcripturæ teſtimoniis confirmetur: Imo, ſi in interpretatione, quæ ſtatuit, hos tres teſtes in terra ad confirmandam humanitatem Chriſti adhiberi, inhæreamus, non poſſe nos ex hoc loco realem præſentiam corporis & ſanguinis Chriſti in cœnâ ſtatuere*, Reſp. I. Etſi locus hic ab *antiquis nonnullis* variis interpretationibus videatur eſſe obſcuratus, ita tamen certis interpretandi Canonibus in circumſtantiis textus eſt munitus, ut certiſſimam habeat expoſitionem. II. Id quod *errorem* vocat Sadeel, cla-

Conf. Verſin. Tom. I. Operum p. 457.

deel, clariſſimis à nobis fundamentis probatum eſt. III. Fidei analogia & inprimis veritas humanæ naturæ noſtra aſſertione non læditur, ſed hum. naturæ majeſtas comprobatur. Et veritas humanæ naturæ à Chriſto aſſumptæ, & ejuſdem corporis & ſanguinis tremenda in S. Cœna præſentia *ex uno eodemq; principio credendi*, divina ſc. *veritate*, nobis conſtant. *Secundum errorem* in eo ponit, *quod nomine ſanguinis Cœnam intelligimus, & multis ita implicamur difficultatibus. Cur enim & inprimis corporis etiam non meminit Iohannes, ſi hîc de cœnâ intentio? Cur vinum non potiùs dixit, quam ſanguinem? ſicut & aquæ nomine baptiſmum deſignat? Quomodo explicabunt, venit per aquam & ſanguinem? num, Chriſtum S. baptiſmum & S. Cœnam inſtituiſſe? At hoc mirũ ac plane novum interpretationis genus. Quid per Spiritum intelligendum, qui dicitur εἰς τὸ ἓν cum aquâ & ſanguine? Non poteſt intelligi Spiritus S. unde enim iſtius cum aqua & ſanguine unitas? Non dona, quæ defierunt. Non deniq; fides regenerationis, quæ eſt in piorum animis.* Reſpond. I. has difficultates contemſerunt *Calviniani*, qui hunc locum pariformiter nobiſcum interpretati ſunt. 2. Non adverſatur Calvinianis, *carnis* nomine *Ioh. 6.* Chriſtum ſpiritualiter in S. Cœnâ etiam manducandum intelligere, & *fractione panis*, totum S. Cœnæ epulum quidni etiam *ſanguinis* nomine h. l. intelligere licebit totum id, quod
1.Cor.12,13 in S. Cœnâ nobis exhibetur? Et quid reſpondebit Sadeel Calvino, qui *1. Cor. 12, 13. πάντες εἰς ἓν πνεῦμα*, velut Clemens Alexandr. *l. 1. Pædag. c. 6.* & Scholia Græca cum nonnullis Codd. *ἐν πόματι ἐποτίσθημεν*, ubi ſolius potus Spiritualis & myſtici fit mentio, intelligit *Com. h. l.* S. Cœnam, & addit, *frequentem eſſe S. Scripturæ uſum Synecdochicè loqui de Sacramentis.* Ita etiam ſentit Theod. Beza *in annotat. maj. h. l.* & Pet. Martyr. *in L. C. cl. 4. c. 10. num. 151. & in Com. h. l.* & Piſcator *in analyſi h. l.* & Toſſanus *in not. Germ.* & Marloratus *in expoſ. Eccl. h. l.* & Junius *in h. l.* & ipſe demum Sadeel *Oper. pag. 285. 297. 299.* Patieturne Sadeel contra ſe militare hanc rationem, quam ipſe nobis expoſuit? Cur enim & inprimis etiam corporis non meminit, ſi hîc *de cœnâ* mentio? Cur enim & inprimis manducationis non meminit, ſi hîc de cœnâ mentio? Atqui ipſis fatentibus iſta ratio *h. l.* invalida eſt. Itaq; & contra nos invalida erit. 3. Sanguinis, *in S. literis*, & quidem in negotio ſalutis noſtræ effuſi, & ad ſalutem noſtram ordinati, frequentiſſima & dulciſſima fit mentio. 4. Liberum fuit Spiritui S. manum Johannis mentemq; gubernanti, ſtilum pro ſanctiſſimo beneplacito ſuo temperare; adeoq; nobis ſanguinis, non corporis aut vini, vocabulum ad Cœnæ miranda myſteria deſignanda uſurpare, inprimis quia pulcherrimam illorum myſteriorum imaginem, *aquam & ſanguinem*, è latere Chriſti Jeſu promanantia, in animo habuit. 5. Verba, *venit per aquam & ſanguinem*, nullâ novâ interpretatione commodiſſimè interpretamur; ſi dicamus: *Quemadmodum Moſes, ſtabiliens Sacerdotium, certa quædam monumenta ſacrificialia & ſacramentalia ordinavit: ita Chriſtum umbras illas expleturum, &*

æternum

Digitized by Google

æternum ſacerdotium confirmaturum, non ſine myſteriis advenire voluiſſe, ſed adventum ſuum ſacramentis maximis, & efficaciſſimis cohoneſtâſſe, baptiſmo, quem tanquam initiationis myſterium ſub initium adventus ſui velut εἰσόδιον conſtituit, & S. Cœnâ, in quâ precioſiſſimus & incorruptibilis ſanguis ejus ſcaturit, quam ſub exitum ferè adventus ſui, velut perenne ſuæ præſentiæ gratioſæ mnemoſynon & medium, adeòque ἐφόδιον ſanxit, ita ut utroque hoc Sacramento adventus ipſius mirè illuſtratus ſit. 6. Quid per *Spiritum* intelligatur, ſupra expoſitum eſt. Illud falſum eſt, nullam unitatis rationem eſſe inter *Spiritum S.* & *baptiſmum* atque *Cœnam*, ſeu *aquam & ſanguinem*! Nonne enim *Spiritus S.* his ſive ſymbolis ſive inſtrumentis gratiæ intimè ſeſe unit, ut per ea ſit efficax? Ecquid? Nonne *Spiritus S.* eſt divinum illud unguentum, quod in Chriſtum ſecundum humanitatem effuſum eſt, ex quo fit, ut etiam ſanguis Chriſti ſit balſamus immortalitatis? *Tertium errorem* in eo ſtabilit; *ſi dicamus ſanguine Cœnam notari, nos habituros Cœnam Domini ſine ſymbolo.* At *Sanguinis* vox hic non eſt *abſolutè* omninò poſita, ſicut nec *aqua*. Ex textu enim aliquot quaſi veſtimenta ſanguinis apparent. Nam I. eſt ſanguis, per quem Chriſtus aliquo modo venit *ſeorſim. 2. eo habitu*, quo ſanguis à perſonâ Chriſti in cœlo teſtante *ſeorſim* teſtari poteſt. *3. eo myſterio*, quo & baptiſmus teſtatur. 4. *ea ratione*, quâ ſanguis diſtincto modo nobis etiam communicatur. Nam aliàs Chriſtus cum omnibus ſuis beneficiis & ſanguinis merito, etiam per Evangelium & baptiſmum nobis datur. At ut per *ſanguinem* Chriſtus *ſeorſim* veniat in regno gratiæ, elemento quodam externo, ceu velo diviniſſimæ ſuæ præſentiæ, utitur. Et ut ſanguis Chriſti ſeorſim diſtincteq; à perſonâ ſuâ teſtante in cœlo teſtetur, rurſum elementa verbo accedere oportet. Et ut ſanguis ea ratione, qua baptiſmus, teſtetur, *Sacramentale ſymbolum* adhibetur. *Quartus error* in eo ponitur, *quòd non intelligamus, ſignum per rem ſignatam eſſe intelligendum, & ſignati nomen ſigno tribui.* Negamus nos I. ſanguinem Chriſti hic ἄνευ συμπλοκῆς capi; oſtendimus, quòd συμπεπλεγμένως & in ἑνώσει ſacramentali cum deſtinato elemento hoc loco cõſideretur. Et ſic Synecdoche eſt, qua altera Cœnæ pars pro tota ponitur. 2. Reſpondemus, non conſtare ex probatis autoribus, *ſignatum poni pro ſigno*, uti alias fusè probant noſtri. 3. *Sanguis* hic ille intelligitur, qui 1. principaliter teſtatur. 2. per quem Chriſtus venit. 3. qui ex latere etiam Chriſti effluxit. 4. qui mundat nos ab omni peccato. 1. Joh. 5, 6. 8. Joh. 19, 1. Joh. 1, 7. At ſignum ſanguinis iſta non præſtat. Virtus teſtandi principaliter eſt in ſanguine Jeſu, per illius effuſionem & diſpenſationem adventus Jeſu Chriſti inclaruit. Verus, non ſymbolicus, *ſanguis* è latere Chriſti effluxit: idemque nos à peccato mundat. 4. *Spiritus* ipſe, qui eſt veritas, S. Spiritu atteſtante, h. e. ipſum Evangelium, non ſignum aliquod ejus, ab eo præciſum, teſtatur ἐν τῇ γῇ: Aqua ipſa baptiſmalis, (nuda enim aqua h. l. non intelligitur, ſed aqua talis, per quam Chriſtus venit) non autem ſignum aliquod ſeparatum

ab eâ, teſtatur ἐν τῇ γῇ. 5. Quis credat in tàm ſeverâ teſtium trigeminorum appellatione & publicatione B. Johannem aliud pro alio nòminaturum, h.e. ſanguinem poſiturum, intellecturum autem vinum ſolùm. Demum *argumentationem retorquet* Sadeel. *Si*, inquit, *in hoc Iohannis loco aqua ſignificat baptiſmum, & ſanguis cœnam Domini, quæ duo & Spiritus teſtantur de Chriſto, & hæc tria unum ſunt. Ergò, quemadmodum verus ſanguis non eſt realiter in aquâ, vel cum aquâ, vel ſub aquâ baptiſmi, ita verum corpus & verus ſanguis Chriſti non eſt realiter in pane & vino, vel cum pane & vino, vel ſub pane & vino, vel ſub eorundem accidentib. Atq; inprimis hæc verba urgeo: in unum ſunt. Ut igitur verus ſanguis Chriſti repræſentatur aquâ baptiſmi, ita pane & vino, ſacris ſignis in Cœna Domini propoſitis, repræſentantur verum corpus & verus ſanguis Chriſti, ſemel in cruce pro nobis effuſus, &c.* Reſpond. retorſio nihil ferit. Negat enim ſanguinem Chriſti uniri *certo modo* cum aquâ baptiſmi ad effectum regenerationis producendum: quod ſacris literis contrarium eſt. *Apoc.1,5.* Lavit *nos in ſanguine ſuo* λούσας. Unde *Tit.3.5.* λουτρὸν παλιγγενεσίας. & *Eph.5,16.* καθαρίσας λουτρῷ τοῦ ὕδατος ἐν ῥήματι. & *Ebp.1,7.* ἀπολύτρωσιν διὰ τοῦ αἵματος αὐτοῦ. Conf. *Rom.6,4. & Col.2,11.* Auguſtin. *tract.11. in Iohan.* Unde *rubet baptiſmus Chriſti, niſi ſanguine Chriſti conſecratus?* Quanquam verò ſit *alia ratio præſentiæ* ſanguinis Chriſti in S. baptiſmo, tamen, in quæſtione *an ſit*, tàm *verè* & *realiter* Chriſtus ſanguine ſuo præſens eſt in baptiſmo, quàm verè à nobis in S. Cœnâ præſens aſſeritur. Videatur Doctor noſter Menzerus *contra Sadeelem p. 245 & ſeqq.*

VI. Duo ſunt tantùm N.T. ſacramenta.

§. 30. Succedat ordine VI. poriſma. Duo *ſunt tantùm N.T. ſacramenta, accuratè & propriè loquendo.* Pontificios contradicentes habet hoc poriſma. Veriſſimum autem eſt ex conſideratione textus noſtri. I. Quia juxta SS. Evangelium *duo* tantum ſunt *teſtimonia* ἐν τῇ γῇ in Eccleſiâ, quibus nobis gratia cœleſtis ſanctificans impenditur, *ex parte Dei.* Nota benè. Dixi, *gratia ſanctificans.* Non enim alia gratia eſt, quæ in ſacramentis communicatur, quàm ſanctificans & juſtificans. *Dona miniſtrantia*, item, *auxilia naturalia* & alia ſubſidia, non pertinent ad ſacramentorum myſterium. Pertinent enim ſacramenta Nov. Teſtam. eò, quò ipſum Evangelium, ſeu doctrina de gratuitâ remiſſione peccatorum per & propter Salvatorem Dominum Jeſum Chriſtum. Duo verò juxta Evangelium tantum eſſe ejuſmodi gratiæ diſtribuendæ inſtrumenta & media, ὀχήματα gratiæ, patet; *quia* tres ſunt tantùm, qui teſtantur ſub SS. Trinitate, de gratiâ & veritate per Jeſum Nazarenum Filium Dei, Chriſtum & Mediatorem, uti inquit Johannes. Sicut & *tres*, non plures, ſunt *in cœlo*, qui divino, abſoluto independenteque teſtimonio teſtantur. At ſi plura ſacramenta, quàm duo, ſtatuantur, plures, quàm *tres*, erunt μαρτυροῦντες ἐν τῇ γῇ. Erit impoſitio manuum in Sacramento ordinis, Chriſma in confirmatione & extremâ unctione, &c. Robertus Bellarmin. *T.3. l.2. de Effect. Sacram. cap.27. §. Dico tamen*, ait: *Non hoc agere Iohannem, ut*

duo ſa-

*duo ſacramenta ſtatuat, ſed inprimis illud, ut oſtendat differentiam inter baptiſ-
mum Chriſti & Johannis, quod Johannes venerit in aquâ ſolùm, h. e. baptiſmum
attulerit non efficacem, at Chriſtus attulerit baptiſmum efficaciſſimum, cum a-
quam dederit ſanguini ſuo admiſtam.* Reſpond. 1. Bellarminus contradicit
Pontificiis quam pluribus à nobis recitatis, qui agnoſcunt, *duo ſacramenta*
h. l. *inſinuari*. 2. Committit Elenchum oppoſitorum. In eo enim opponit
Johannis B. & Chriſti baptiſmum, in quo nulla datur oppoſitio; nim: in effi-
cacia. Sed hic error copioſè refutatus eſt à Doctore noſtro Domino Ger-
hardo *L. C. de baptiſm.* §. 54. *& ſeqq.* Nos acquieſcimus in judicio Baſilii
Magni, *in orat. quomodo baptiſetur aliquis baptiſmate, quod eſt in Evangelio
Domini noſtri Jeſu Chriſti. T. 1. p. 455.* Iohannis *baptiſma multis modis excel-
luit (Moſis baptiſma.) nullam enim prorſus faciebat ad gratiam Dei & Chri-
ſtum perveniendi dilationem, ſimul itaque acceſſerat quis, & peccata ſua, quan-
tacunque & qualiacunque fuiſſent, confeſſus fuerat, in Jordanis flumine bapti-
ſabatur, & confeſtim remiſſionem peccatorum accipiebat.* II. Quia in ipſo *ty-
po* teſtimoniorum divinorum ἐν τῷ γῇ duorum tantum ſacramentorum facta Ioh. 19. 34.
eſt adumbratio. Typus is eſt *profluxus aquæ & ſanguinis* è Chriſti mortui
latere. Eſſe verò ibi adumbrationem duorum ſacramentorum, conſtans eſt
orthodoxæ antiquitatis ſententia. Auguſtin. *in Johan. tr. 15. De latere in cru-
ce pendentis lanceâ percuſſo ſacramenta Eccleſiæ profluxerunt. lib. 2. de ſymbolo
ad Catechumenos c. 6.* Adſcendat *Sponſus noſter thalami ſui lignum: adſcendat
Sponſus noſter thalami ſui lectum. Dormiat dormiendo, aperiatur ejus latus,
& Eccleſia prodeat virgo, ut quomodo Eva facta eſt ex latere Adami dormien-
tis, ita & Eccleſia formetur ex latere Chriſti in cruce pendentis. Percuſſum n. eſt
ejus latus, ut Evangelium loquitur, & ſtatim manavit ſanguis & aqua, quæ ſunt* Corn. à
Eccleſiæ gemina ſacramenta: aqua, in quâ eſt Sponſa purificata: ſanguis, ex quo Lapide
invenitur eſſe dotata. Adde *l. 15. de C. D. c. 26.* & *Enarrat. in Pſ. 44. & in Joh. tract.* Eph. 5. p.
9. Chryſoſt. *in Ioh. hom. 85.* Cyrillum *in Joh. l. 12. c. 39.* Alcuinum *in Ioh. l. 7. c. 47.* 574. col. 2.
Zachar. Chryſopolitanum *Concord. lib. 17.* Iſidorum Hiſpalenſ. *in Geneſ. c. 3.* Ful- C. D.
bertus Carnotenſis *epiſt. 1.* Tria *ſunt ad profectum Chriſtianæ religionis propoſi-
ta. Horum primum eſt, intelligere & firmiter tenere myſterium Trinitatis, ut u-
nius veritatem Deitatis: ſecundum, ſalutaris baptiſmi rationē noſſe, vel cauſam:
tertium, in quo duo vitæ ſacramenta, id eſt, dominici corporis & ſanguinis conti-
nentur.* Dionyſ. Carthuſ. 4. ſent. diſt. 8. quæſt. 1. p. 59. Origo ſacramentorum
eſt paſſio Chriſti, de cujus latere ſacramenta fluxerunt. Ipſi Pontificii fatentur,
duo ſacramenta Eccl. hoc loco adūbrata, ſed addunt *præcipua.* Ianſ. *in Concord.
c. 143.* Hoc *duplici fluxu deſignata ſunt duo præcipua Eccleſiæ ſacramēta.* Mald.
in Matth. 27. Per *ſanguinem Euchariſtia, quâ alimur, per aquam, baptiſmus, quo
naſcimur, duo* præcipua *ſalutis noſtræ ſacramenta ſignificantur.* Alf. Salmeron.
T. 10. tract. 48. Emiſit ſanguinem & aquam in ſignum duorum ſacramentorum,

baptiſmi, in quo aqua tingimur, & Euchariſtia, in qua ſanguine potamur. Ita etiam huic rationi reſpondet Bellarminus *l.add.Locus* inquit, *ille Johannis non malè ita exponi poteſt, ut ſignificentur per ſanguinem & aquam Euchariſtia & Baptiſmus, ut exponunt ferè Græci omnes; ſed non propterea excluduntur cætera ſacramenta. Solùm enim duo poſita ſunt, quia ſunt magis communia & magis principalia: & ex illis poterat idem judicium de cæteris fieri.* Reſpondemus verò 1. *nullo indicio* à Patribus ſanctis illum typum fluentis è latere Chriſti ſanguinis & aquæ ad alia ſacramenta transferri. 2. Antitypum verò illius typi S. Patres conſtanter eum tantum dant, qui in duobus ſacramentis baptiſmi & Euchariſtiæ abſolvitur. 3. Plura ſacramenta reſpondere illi typo fluxus è latere ſanguinis & aquæ, repugnat triadi teſtimoniorum Dei ἐν τῇ γῇ. Reſpondet autem Bellarminus etiam ſecundò huic rationi: *non eſſe neceſſarium, illam expoſitionem ſequi: Cyrillum Hieroſolymit. & Hieronymum dicere; per ſanguinem & aquam, ſignificatum eſſe baptiſmum fluminis & ſanguinis. Ambroſium, Leonem, Auguſtinum & Bedam, per ſanguinem intelligere redemptionis pretium, per aquam, baptiſmum.* Et addit: *hæc videtur maximè literalis expoſitio, ut nimirum intelligamus ex Chriſti latere fluxiſſe baptiſmum, qui omnem ſuam vim habet ex Chriſti ſanguine. Nam ideò non dixit, exivit aqua & ſanguis, ut ordo poſtulabat, ſi ageretur de baptiſmo & Euchariſtiâ, cùm Baptiſmus præcedat Euchariſtiam, ſed dixit: exivit ſanguis & aqua, id eſt, pretium & ejus applicatio.* Atqui 1. ſi per *ſanguinem* pretium, per *aquam* Baptiſmus intelligitur, jam non eſt duorum adumbratio ille fluxus, ſed unius tantùm, ſcilicet baptiſmi. Nam ſanguis è latere ſcaturiens non *ſignificat* pretium & adumbrat, ſed eſt *ipſum pretium.* 2. Plures Patres amplectuntur expoſitionem de adumbratione *duorum ſacramentorum.* 3. Patres, qui per *ſanguinem* intelligunt *pretium noſtræ redemptionis*, illi hoc loco illum, ut ſacramentaliter oblatum, conſiderant. Unde S. Euchariſtia vocatur, *pretii noſtri ſacramentum* ab Auguſt. *Confeſſ. cap. 14.* Is. Caſaubonus *Exerc. 16. Annal. ſect. 44. pag. 567.* 4. Martyrium non poteſt intelligi per *ſanguinem è latere Chriſti fluentem*, ſi per *aquam* intelligatur Baptiſmus. Nam non ſolum falſa eſt illa ſententia, ut docet Doctor noſter Gerhardus *T. 4. L. de bapt.* §. 5. quæ dicit, eandem vim martyrii eſſe ex opere operato, quæ eſt baptiſmi: ſed etiam nulla ratio eſt, cur omiſſo maximo Eccleſiæ ſacramento, Euchariſtiâ, perenni fidelium delicio, martyrium potius à miraculoſo illo ſanguinis fluxu fuerit adumbratum. Adde, abſurdum eſſe, in tanto miraculo apparentis ſanguinis id per ſanguinem adumbratum eſſe, velle dicere, ad quod ſanguinis profluvium non intendit principaliter, & in quod πρώτως, ut ſic loquar, non influit. At tale quid eſt martyrium 5. Per aquam & ſanguinem *unum* intelligere ſcilicet *baptiſmum* cum ſuo pretio, non licet. Nam 1. fluxus ille aquæ ſeu potius *paſſio* illa, *elicita* è latere per confoſſionem violentam *aquæ*, non minus eſt aliquid ad pretium redemptionis pertinens, quam illa *paſſio effluentis*

ſangui-

ſanguinis. Sicut & *lacrymæ*, quatenus pertinuerunt ad *κένωσιν* majeſtatis, ſervilemque formam & obedientiam humillimam Chriſti Ieſu, ad pretium redemptionis referuntur. 2. Duo diſtincta teſtimonia efficiuntur ex aquæ & ſanguinis Chriſti illo laterali fluxu. 3. Bellarminus *lib. 4. de Euchar. c. 10. §. ſecunda ratio.* ex hoc effluxu aquæ & ſanguinis è Chriſti latere probat mixtionem aquæ cum vino in poculo Euchariſtico. E. ſi Bellarmini rationes ſtare debent, hic effluxus utrumque deſignat ſacramentum. 6. Quod *ſanguis* à Iohanne *præponitur, aqua ſequitur* in hiſtoria, non impedit, quo minus per ſanguinem Euchariſtia, per aquam baptiſmus intelligatur. Non enim Iohannes ordinem Sacramentorum, ſed miraculorum gradum reſpexit. Inſolitum erat ex corpore defuncto fluere ſanguinem: ſed quod inſuper aquam juxta diſtinctéque promanantem videt, hoc auget mirandi ſpectaculi magnitudinem. Dicamus ergò cũ Leone, ejuſque laudatiſſimâ Epiſtolâ, quam olim *rectæ fidei columnam* conſtat appellatam in Concilio Chalcedonenſi. *Si Chriſtianam ſuſcipit fidem & à prædicatione Evangelii ſuum non avertit auditum, videat, quæ natura transfixa clavis pependerit in crucis ligno, & aperto per militis lanceam latere crucifixi intelligat, unde ſanguis & aqua effluxerint, ut Eccleſia Dei & lavacro rigaretur, & poculo.* Gabr. Vaſquez Jeſuita *T. 1. Comm. in 3. part. Thom. quæſt. 19. diſp. 77. c. 1.* quæſtionem movet; *An Chriſtus, etiam poſt mortem ſuam, aliquid nobis meruerit,* & negativam defẽdit, rectéq; ait, *graviter lapſos eſſe recentiores aliquos Theologiæ Profeſſores, qui dicunt, Chriſtum nunc actu mereri & in ſacrificio Miſſæ, & in collatione ſacramentorum, eò quod conſiderant ſacrificium Miſſæ tanquã actionem ipſius, & c. c. 2.* ſolvit objectionem illam, quæ ex *fluxu ſanguinis & aquæ* è latere Chriſti poſt mortem viſo, formatur, & his verbis concepta eſt. *Vulgaris Theologorum ſententia aſſerit, ex Chriſti latere lanceâ poſt mortem transfixo ſacramenta Eccleſiæ manâſſe. Hæc enim non habent efficacitatem producendi gratiam, niſi ex meritis Chriſti, à quibus tanquam ex fonte manârunt. Cùm igitur dicantur manâſſe tanquam ex fonte, ex vulnere lateris Chriſti transverberati, ſequitur, vulnus illud poſt mortem inflictũ [illegible] ſe meritorium, ac proinde Chriſtum poſt mortem nobis meruiſſe noſtram ſalute.* Solvit autem vulgatam Theologorum ſententiam negando, dicendoque, aliam fuiſſe mentem S. Patrum, qui dicunt, *Sacramenta ex Chriſti latere manâſſe,* illos enim non loqui *de Eccleſiæ ſacramentis*, quæ ſunt cauſa noſtræ ſalutis, ſed *de ipſo ſanguine & aqua,* quæ ſunt duo *ſacramenta*, h. e. duo myſteria. Atqui hæc Vaſquii opinio 1. repugnat communi Theologorum ſententiæ. 2. Repugnat diſertis S. Patrum verbis, à nobis adductis. 3. Et eò contendit, effluxum illum ſanguinis & aquæ è latere Chriſti, non pertinere ad meritum Chriſti, quia contigerat Chriſto mortuo. Atqui mors omninò etiam pertinet ad meritum Chriſti. Mors verò hîc *non ita præciſè* ſumitur pro ſolutione animæ à corpore, ſed pro univerſo illo ultimo gradu exinanitionis, cujus initium eſt ſolutio illa, finis ceu terminus ad

quem

Digitized by Google

quem ἕνωσις animæ & corporis, ſeu Chriſti hominis reſurrectio. Quicquid igitur Chriſto mortuo mortale, inglorium infirmum, ſervile atque humile in illo ultimo κενώσεως gradu contigit, illud, ſicut & ipſa ſolutio animæ & corporis, ad meritum mortis Chriſti pertinet. Vide contra Vaſquez diſputantem Franc. Collium Ambroſiani Collegii Mediolan. Doct. *tractat. de Sanguine Chriſti lib. 5. cap. 3. diſp. ult. pag. 892.* III. Quia etiam B. Paulus conformiter B. Iohanni duo tantum Sacramenta Baptiſmum & Euchariſtiam ad unitatem corporis Chriſti myſtici conſtituendam conſervandamque introducit. Sicut enim Iohannes Apoſt. ex parte Sacramentorum duo tantum teſtimonia nominat ἐν τῇ γῇ teſtificantia, quæ ad fidem, victoriam mundi conſtituendam, ad operandam nativitatem ex Deo, ad cœleſtem veritatem in nobis firmandam, ad vitam æternam promiſſam obſignandam pertinent, etiam reliqua ſa-

1. Cor. 12 13. cramenta, quæ Papiſtæ ſtabiliunt, producturus, ſi haberent illam efficaciam, quam illis tribuunt eorum aſſertores: (Nam *in via neceſſitatis* pœnitentiam ſacramento Euchariſtiæ præponunt: Viguerius Granat. *Inſtit. Theol. c. 16. v. 17. p. 408.* in *via efficaciæ* Confirmatio anteponitur Baptiſmo: Tannerus *T. 4. pag. 969.* Henriquez *Theol. Moral. lib. 1. c. 7. n. 5. p. 17.*) Sic etiam B. Paulus duo tantum nominat Sacramenta, Baptiſmum & Euchariſtiam, quæ ad coaptationem coagmentationemque corporis myſtici cum Capite Chriſto faciunt, etiam plura producturus, ſi plura eſſent, uti Papiſtæ volunt; & ſi eam combinandi continendique poteſtatem haberent, quam illis tribuunt. Locus eſt 1. Cor. 12. 13. Καὶ γὰρ ἐν ἑνὶ πνεύματι ἡμεῖς πάντες εἰς ἓν σῶμα ἐβαπτίσθημεν, καὶ πάντες εἰς ἓν πνεῦμα ἐποτίσθημεν. Locus hic *de duobus ſacramentis* N. T. accipitur à Chryſoſt., Cajetano, Lyrano, Thomâ, Eſtio, Corn. à Lapide, Bened. Juſtiniano, qui pro ſua ſententia adducit Chryſoſt., Theophylactum, Clementem Alexandrinum, lib. 1. Pædagogi & ſcholia Græca. Vocat etiã eam multorum ſententiam. Iacobo Thirino in ſchol. &c. Bellar. *l. 4. de ſacram. Euchar. c. 27. §. 6.* ait; non loqui Paulum *de potu ſanguinis Domini*, ſed de *potu Spiritus, quem haurimus in Baptiſmo.* At falſò. Nam loquitur Paulus de *eâ ratione participandi Spiritum S.* quæ fit *potando.* ergò non de baptiſmali loquitur. Unde Eſtius, licet utramq; proponat, illum ſenſum tamẽ magis germanum judicat, qui *de Euchariſtica potatione* intelligit Lapidenſis ita παραφράζει hunc locũ. *Non tantum nati ſumus, & quaſi membra inſerti in corpus Chriſti, ſed & eodem alimento utimur, ſc. carne & ſanguine Chriſti in Euchariſtia. Nam ex unâ ſpecie Euchariſtiæ ſc. vino alte-*

VII. Sanguinis Chriſti ſacramentalis bibitio non eſt interdicenda Laicis. *ram panis h. e. ex potu cibum intelligit, uti è contrario ex panis ſpecie vini ſpeciem intelligit c. 10, 17.* Sed vide eâ de re Doct. noſtros.

§. 31. Addamus VII. poriſma. Sacramentalis *ſanguinis Dominici bibitio non eſt interdicenda Laicis.* Poriſma hoc negant Papiſtæ. Nos ex hoc loco ita pro poriſmate concludimus. *Illi non ſunt excludendi à ſacramentali ſanguinis Dominici participatione, ad quos venit Chriſtus per aquam & ſanguinem, v. 6. 2. qui ſunt geniti ex Deo. v. 1. & 4. 3. qui debent ſervare*

præce-

præcepta Domini, v.3.4. *qui debent per fidem vincere mundũ*. v.5.5. *quib.teſtimonio ſuo divino Deus teſtatur*.v.8.6.*qui debent teſtimonium Dei humano majus recipere*,v.9.7.qui *debent vitæ æternæ participes fieri* v.11.12.13.ſi modo ordinem aditus adhoc ſacramentũ Paulin.obſervaverint.*1.Cor.11,18*.Cum his n. loquitur B.Joh:his teſtimonia divina pponit: *Atqui iſta omnia etiam Laicis fidelib.competunt: ad illos venit per aquã & ſanguinem, illi ſunt etiam geniti ex Deo: illi debent præcepta Domini ſervare; illi debent per fidem mundum vincere illis teſtimonio ſuo divino Deus teſtatur: illi debent teſtimonium Dei humano majus recipere: illi debent vitæ æternæ participes fieri.E.illi non ſunt excludendi a ſacramentali bibitione ſanguinis Dominici*.Quib.Dominus porrigit teſtimoniũ ſacramentale Dominici ſanguinis bibendi,illi nullo humano ſunt arcendi interdicto.Laicis fidelib.Dominus ẽt porrigit teſtimoniũ ſacramentale Dominici ſanguinis bibendi.E.Rationes hujus ſunt.1. *Quia* Laici ẽt ſanguinis Dominici pretio redemti ſunt: 2.*quia* teſtimoniũ Spiritus,teſtimoniũ ſacramentale aquę porrigitur divinit⁹ Laicis.3.*Quia* ẽt teſtimoniũ trium teſtiũ in cœlo Laicos attinet,teſtimoniũ videl.Patris,Verbi&Spirit.S.Dicent:*Laicos bibere ſanguinem Dominicũ percepto corpore Domini* Reſp.1.ad *corpus* non pertinet *bibitio* ſed *manducatio*. 2.talis perceptio ſanguinis Chriſti non eſt ſacramentalis,h.e.mediante elemento potabili,ſc.vino,facta. Atqui teſtatio divina reſpectu aquę& ſanguinis eſt ſacramentalis,uti probavimus.3.Modus teſtimonii divini non eſt mutandus aut mutilandus, ne falſarii teſtimoniorum divinorum fiant illi, qui hoc tentant. At modus teſtimonii ſacramentalis Euchariſtici eſt per diſtinctam corporis ſub pane, & ſanguinis ſub vino propoſitionem, uti ex inſtitutione patet. Inſtitutio autem ritus divini omnes eos obligat,qui ritus illius participes eſſe volunt, ut eum ſumant eo modo, qui divinitus inſtitutus eſt. Sed de hac re copioſè Dd.noſtri.

IIX. Evangelii & ſacramentorum duorum uſurpatio docet Eccleſiam.

§. 32. Sequitur poriſma IIX.*Vera & ſufficientes notæ Eccleſiæ ſunt, Evangelii prædicatio & ſacramentorum legitima adminiſtratio*. Repugnat hoc rurſus Papicolis. Probamus a.ex noſtro Johannæo. Quia iſta tria ſunt ſufficientia teſtimonia divina ἐν τῇ γῇ. Quæ a.ſunt ſufficientia ad ſalutem noſtram de Deo, Jeſu Chriſto,& myſteriis divinis μαρτύρια, illa etiam ſunt ſufficientia Eccleſiæ, in qua ſalus iſta viget, in qua Deus, Jeſus Chriſtus & myſteria divina vigent, κριτήρια.In quo igitur loco ἐν τῇ γῇ ſine manifeſta externa repugnantiâ teſtimonia iſta divina tria vigere video, in eo loco cœtũ viſibilem Chriſto collectum eſſe,adeoq; Eccleſiam eſſe, indubiè animadverto.Quomodo n.certiùs& infallibiliùs cognoſcere potero, alicubi eſſe Eccleſiam Chriſti Jeſu, quam ſi deprehendo, ibi eſſe *ſine contradictione & repugnantiâ* manifeſtâ teſtimonia divina Chriſti Jeſu: Dico; *ſine repugnantia & contradictione* manifeſtâ; quia licet aliqui ſemper in abdito ſint hypocritæ,qui verbo profitentur conſenſum cũ teſtimoniis divinis, reipſa tamen in occulto cordium ſuorum conſilio illis

contradicunt, illi tamen non impediunt, quò minùs ibi ſit Eccleſia. Ubi a. *manifeſta eſt repugnantia & contradictio* univerſitatis, ibi Eccleſia eſſe nequit, propter malitioſam illam reſiſtentiam: ſicut apud Judæos *Act. 13.46.* & apud Iconicenſ. & Lyſtrenſes, *Act. 14.* Nonne univerſaliter ita cõparatũ eſſe videmus, ut ibi ſit alicujus religionis cœtus, ubi teſtimonia propria & primaria Dei, qui in illa religione colitur, ſine *repugnantia & contradictione* illiꝰ loci apparent. Sic, ibi erat *gentiliſmus*, ubi teſtimonia, *oracula, reſponſa, auſpicia* & reliqua gentiliſmi primaria documenta comparent. Sic & ibi eſt *Iudaiſmus*, ubi thalmudica V. T. perverſio, cũ circumciſione & vanis Judæor. obſervationib. obſervatur. Ibi eſt *Muhammediſmus*, ubi *Alcoranus*, tanquam teſtimoniũ dogmaticũ Muhammediſmi & alia teſtimonia ejus urgentur. Sic ergò ubi Chriſtianæ religionis teſtimonia tria, verbum Evangelii & duo ſacramenta obſervantur, ibi Chriſtianæ religionis Eccleſia eſt. Ulteriùs, ubi V. D. & Evangeliũ cum ſacramentis duob. purè, ſine cõtradictione, aut corruptione, aut additamentis obſervatur, ibi ſine dubio pura eſt Chriſtianæ religionis Eccleſia: ubi è contra, ſi *principiũ cognitionis* conſideres, apparet Evangeliũ Dei non purè, ſed cũ contradictione, aut corruptione, aut additamentis, doceri, & ſacramenta ad inſtitutionis normã non exhiberi, ibi eſt *impura* Chriſti Eccleſia, & quadantenus corrupta. Perinde, ſicut illibi *Iudaiſmus* ab ipſis Judæis purè dicitur eſſe, ubi Thalmudicæ obſervationes, quas illi pro teſtimonio veræ religionis habent, in ſuo ſunt vigore. Ibi a. corruptus, ubi Thalmudica cõmenta repudiantur, q fit à Caræis, quorum meminit Joh. Leo *in deſcrip. Afric. l. 2.* de quib. agit Druſ. *l. 3. de trib. ſect. Iud. p. 130. & l. 1. q. Heb. 44.* Joſ. Scalig. *in Elencho trihær. c. 16.* & Cunæ*ꝰ de Rep. Heb. p. 510.* Conf. Buxt. *in recenſ. Thalm. p. 193.* & ſeq. Sicut & illibi à Turcis pur*ꝰ* eſſe dicitur *Muhammediſ.* ubi Alcoran. ἁπλῶς & ſine detractione obſervatur: ibi a. corruptus, ubi Alcorani fabulæ enormes & ineptiæ repudiantur, q fit à Perſis. De quib. vide Joh. Leonclavii *ſupplem. annal. Turcic. A. 1576. p. 73. & ſeqq.* Befold. *Conſid. ſectæ Saracen. p. 21.* Theſauro polit. *part. 1. relat. di Conſtantinopoli fol. 27.* Dicit Gordon. Huntl. *Controv. 2. de Eccleſia c. 18. tom. 1. p. 203.* iſta teſtimonia divina *nec videri poſſe, nec ab ullo ſenſu percipi: imò ne ab intellectu quidem, niſi fide illuminetur: ſolâ n. fide percipiuntur; quia nemo poteſt ſcire, quænã ſit ſincera prædicatio, legitima adminiſtratio ſacramentorum, niſi per fidem: quare non poſſe eſſe teſtimonia ad Eccleſiam perducentia infideles.* Reſp. 1. Ead. ratione contra Eccleſiæ notas à Gordono allegatas, *unitatem, ſanctitatem, Catholiciſmũ & Apoſtoliciſmũ* concludi poſſe. Nam vera & divina *unitas*, vera & ex Spiritus S. regimine profluens *ſanctitas, Catholiciſmꝰ, & Apoſtoliciſmus* divinus nec *videri*, nec *ſenſu percipi*, imò ex ſolius fidei principiis dijudicari poteſt. Quia vera illa unitas, ſanctitas univerſalitasq; inprimis in conformatione cũ teſtimoniis divinis & cũ ſũma veritate revelante poſita eſt. Et quid ſit Apoſtolicũ, cognoſci nequit, niſi divina per Apoſtolos teſtimonia cognita ſint. 2. Iſta teſtimonia tria divina ἐν τῷ γῷ omninò ſunt *ſenſibilia*, imò etiam *viſibilia*. Nã quamvis ſalutaris iſtorum teſtimoniorum perceptio ſolâ fiat fide, tamen etiam infidelibus,

quoad

quoad ſolam notitiam, in ſenſus incurrunt Et quamvis, hæc teſtimonia eſſe infallibiliter
divina teſtimonia, ſoli fidei, per vim ipſorum teſtimoniorum, conſtet, tamen hæc teſtimo-
nia eſſe in Eccleſia Chriſtianorum, etiam ſenſu conſtat, & infidelis novit, etiam Turca, et-
iam Judæus. Et longè facilius meliusque hæc percipit teſtimonia, quæ ſummè conſen-
tiunt, & perpetuò in Eccleſia Chriſtianorum fuerunt, & ſe mutuò ſummè illuſtrant, & ma-
ximam in animos mutandos efficaciam habent, quàm ipſam *unitatem*, ſive ſit cum capi-
te, ſive membrorum Eccleſiæ inter ſe, quam etiam Turcæ & Judæi inter ſe eſſe ſummope-
re contendent: aut ipſam *ſanctitatem*, quæ interdum malis Eccleſiaſticorum moribus ve-
hementiſſimè obſcurata fuit: aut ipſam etiam *univerſalitatem*, & *Apoſtolicam autorita-
tem*, quam ſi de Eccleſia probaverint Pontificii, de his teſtimoniis res longè erit facilior.
Illud etiam obſervo, quòd Gordonus dicit *p.208, c.19.* Videtur *Sanctitas, ſignum Eccleſiæ
per piam & ſanctam doctrinam. Neceſſe enim eſt, ut vera Dei doctrina ſit ſancta, ſana & ir-
reprehenſibilis.* Ponit ergo ſanctam doctrinam ſignum Eccleſiæ. At teſtimonium noſtrum
primum, eſt ipſa ſancta doctrina, veritas Evangelii. Hoc obſervato, cadit ſecundum & ter-
tium argumentum Gordoni; *ſignum debere eſſe notius re ſignatâ, Eccleſiam autem eſſe no-
tiorem teſtimoniis à nobis pro notis Eccleſiæ exhibitis: ſigna Eccleſiæ etiam ignorantes Eccle-
ſiam poſſe inducere in Eccleſiæ cognitionem: teſtimonia autem divina noſtra ſolis in Eccleſia
viventibus eſſe nota.* Nam 1. Eccleſiam Chriſtianam eſſe cœtum religionis alicujus gra-
tia congregatum, poteſt quidem cognoſci, ſecluſis his divinis teſtimoniis. At hæc eſt *con-
fuſa cognitio.* Verùm Eccleſiam eſſe cœtum religionis Chriſtianæ & Evangelicæ, religionis
per Evangelium & ſacramenta conſtitutæ, per has ſolas notas, per hæc divina teſtimonia
unicè & *immediatè* cognoſcitur. Et hæc demum eſt *cognitio diſtincta*, per notas & teſtimo-
nia. 2. Falſum eſt, hæc teſtimonia ſolis exiſtentibus in Eccleſia Chriſtiana eſſe nota. Poteſt ex-
gr. Judæus aut Turca ſcire, Chriſtianam religionem eſſe doctrinam Evangelii N. Teſt. quo-
dam expoſiti, & duobus ſacramentis ablutione & cœnâ confirmandam Et tamen dubita-
te; *An adhuc superſit cœtus aliquis, qui ſincerè & ſolidè illam doctrinam habeat.* Dubita-
tionis occaſionem ex mutuis Chriſtianorum accuſationibus ſumunt, quanquam illa ſuffi-
ciens argumentum non ſit. Ille verò qui planè neſcit Eccleſiam, & ſimul etiam teſtimonia
illa noſtra divina, aliâ methodo docendus & ducendus eſt. Non ſanè ab Eccleſia fit exor-
dium. Aliam rationem tradit. Alex. Valignanus. *tract. ſing.* Joſeph. Acoſta *de procuranda
Indorum ſalute.* Anton. Poſſ. v. *de Iuvandis Indis & Senenſibus lib. 9. & 10. Biblioth.* Vide
Conſiderat. noſtram de Eccleſ. autor. Sed audiamus ulterius Gordon. diſputantem p. 205.
Verùm, inquit, *ante omnia conſtituendum eſt hoc veluti fundamentum: quod ipſa natura-
lis ratio manifeſtè demonſtrat, aliquam eſſe veram Eccleſiam in terris. Eſt enim illud unum
ex iſtis primis principiis fidei, quæ naturali ratione evidenter probantur, ſicut & Deum eſſe:
Quare Apoſtolus ponit iſta duo inter prima fidei principia. Heb. 11, 6. Credere oportet acce-
dentem ad Deum, quia eſt & inquirentibus ſe remunerator: qui autem ita inquirunt, ut re-
munerentur ab eo, ſunt procul dubio in vera Eccleſia. Adhac ipſa ratio naturalis perſpicuè
docet, abſurdum eſſe, exiſtimare, nullam eſſe hominib. relictam à Deo viam ad ſalutem ater-
nam. Cùm iſtud & Dei providentia & infinita ejus bonitati prorſus adverſetur: hæc au-
tem via non eſt alia, quàm Eccleſia. Sed quia multiplex & incerta diverſaq; eſt hominum
opinio de iſta via, tam ad ſalutem neceſſaria, ſigna adhibentur, ut intelligamus, quænam
revera ſit certa & indubitata via.* Ex quo ſequitur: *certius & evidentius eſſe, veram
Dei Eccleſiam eſſe, quàm ſcripturam ſacram eſſe. Cùm naturali ratione conſtet, Ec-
cleſiam eſſe, quod de ſcriptura non conſtat.* Ad hanc diſputationem Reſp. 1. non jam nos
inquirere velle, in illam evidentiam rationis naturalis, probantis Eccleſiam. Dicimus tantù,
ſi ratione naturali conſtat, Eccleſiam eſſe, etiam ratione naturali conſtat, viam ad Deum

 ali-

aliquam eſſe, quam iverit Eccleſia, per quam venerit Eccleſia ad Deum. Nam ipſa Eccleſia mate[illegible] loquendo via non eſt. Alias via & viator unum & idem eſſent. Debuit igitur etiam naturali ratione prius conſtare; Deum voluiſſe homines accedere ad ſe, Deum ἑαυτὸν ἀμάρτυρον nõ reliquiſſe, *Act. 14. 17.* Deũ voluiſſe remunerari accedentes ad ſe, Deũ voluiſſe cognoſci ab hominib. Deũ manifeſtaſſe ſe hominib. aliquâ revelatione, & ſic ortã eſſe Eccleſiã. *Qui igitur cœtus religionis causâ cõgregas aut congregabilis habet iſtas notitias de Deo acceſſibili, muneratore, cognoſcibili, manifeſtante & revelante, ille cœtus eſt vera Eccleſia. At ſolus Chriſtianor. cœtus religionis causâ congregatus habet iſtas notitias. E ſolius Chriſtianæ religionis causâ congregatus cœtus eſt vera Eccleſia.* Major ſecundum Gordonum eſt luminis naturalis. Minoris probationem petet infidelis. Itaque producimus noſtra tria divina ἐν τῇ γῇ teſtimonia. & dicimus, illa eſſe illas notitias. Vt autem credat, partim poſtulamus ab infideli, ut nobiſcum ingrediatur conſiderationem teſtimoniorum noſtrorum, quæ methodus etiam in ſcientiis tradendis ab Ariſtotele eſt propoſita. *l. 1. poſt. c. 10. T. 25.* partim plurima inſignia & excellentia accidentia circa S. literarum imprimis teſtimonium ipſi proponimus, qualia circa nullum, quod quidem in orbe pro divino teſtimonio jactatum fuit, oſtendi poſſunt: qualia colligit Bellarminus libr. 1. de Verb. Dei cap. 2. inter quæ exclamat; ſacris literis nihil eſſe notius, nihil certius, ut ſtultiſſimum eſſe neceſſe ſit, qui illis fidem habendam neget. Adde etiam Serarium in proleg. bibl. cap. 1. & alios. Vides igitur Gordone, non poſſe probari Eccleſiæ autoritatem, niſi probatum ſit prius divinum noſtrum ἐν τῇ γῇ teſtimonium, ſeu potius illuſtretur, quod principiis convenit. II. Sicut naturali ratione conſtat, juxta Gordonum, aliquam Eccleſiam eſſe, cui ſe Deus manifeſtaverit, an autem hæc vel illa ſit, ex gr. Romana, Græca, Abyſſina, Georgiana, Armena, &c. non ex naturali luce, ſed ex certis & immediatis principiis & notis propriis conſtare debet, quas nos dicimus eſſe noſtra tria ἐν τῇ γῇ teſtimonia divina; ita etiam lumini naturæ conſentaneũ eſt, Deũ ſeſe etiam ratione voluntatis ſalvificæ non reliquiſſe ἀμάρτυρον: unde ex inſtinctu naturali homines ad cultum & religionem Dei alicujus feruntur. Quodnam a. illud ſit μαρτύριον, quod eſt principium & fundamentum conſtituendæ Eccleſiæ, & cum vero Deo uniendæ, & an S. ſcriptura, ſeu verbum ſalutis in ea expoſitum illud ſit, id tum ipſa loquitur, tum varia alia oſtendunt, quæ circa eam contigerunt. Prius Raimundus Sabunde Hiſpanus, *magni & ſolidi vir ingenii*, juxta Poſſevin. *in appar. p. 316. in Theologia naturali ſeu Theſauro divinarum conſiderationum pulchrè deducit, edit. Tholoſan. f. 134. 135. & ſeq. ex modo loquendi autoritatis & majeſtatis pleno, in S. literis uſitato, ubi omnia dicuntur pro imperio & ex plenitudine poteſtatis*, ſine probationibus & demonſtrationibus, de rebus tamen maxime à ſenſu & ſcientia hominum remotis; & ex aliis conſiderationibus. De poſteriori ex Bellarmino, Serario & aliis, itemque ex ratione providentiæ & ſapientiæ Dei, ſuis oraculis divinis optimè conſulentis conſtat. Manet igitur teſtimonia tria divina ἐν τῇ γῇ eſſe invicta, infallibiliaque κριτήρια Eccleſiæ veræ Chriſtianæ.

§. 33. Et ita quidem finimus cum Bono Deo, à quo exorſi ſumus, diſſertationem noſtram de triplici illo teſtimonio ἐν τῇ γῇ: gratias tribus ἐν οὐρανῷ teſtibus humiles devotiſſimasque agentes pro admirando ſanctiſſimoque illo teſtimonio, quod ut perenne nobis ſit & luceat, ipſa faxit Sancta Trinitas, ſumma unitas. Amen.

FINIS.

Z
1187.1
99963092

Digitized by Google

1187.1

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google